Ff
d 7

IX 2

69288/3

65

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

COLANERIUS, P. F

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30548238

IX3

PHILIPPI COLANERII
Medici, & Philoſophi
FRUSINONENSIS
NOVISSIMA
METHODUS
CURANDI MORBOS ACUTOS
Inedia, & Aqua.
DISSERTATIO.

Non ea tantum bona ſunt quae nobis afferuntur ex Indiis, & quae caro veniunt & quae novitatem aliquam ſapiunt. Sunt domi, & quae pro viliſſimo pretio haberi poſſint, & quae jam ſint gentium in uſu, quibus homo corpori ſatisfaciat ſuo, & propriae conſulat ſaluti. Port. De Milit. in caſtr. ſanit. tuend. P. II. cap. VII.

ON·MEDICAL
SOC

NEAPOLI MDCCXLVII.
APUD ALEXIUM PELLECCHIA.
SUPERIORUM AUCTORITATE.

VIRO ERUDITISSIMO

ET

MEDICO PRAESTANTISSIMO

FRANCISCO DE ALENA

PHILIPPUS COLANERIUS

S. P. D.

QUOD hanc lucubratiunculam, ſubſecivis quibuſdam horis raptim concinnatam, tibi praecipue nuncupatam velim, duae potiſſimum cauſsae fuerunt. Altera nimirum, quod medicum argumentum ſpectat; tibi enim medico peritiſſimo, novarumque rerum quae ad medicinam, & philoſophiam pertinent ſtudioſiſſimo, acceptiſſimam fore ſperavi. Altera cauſsa, quaeque potiſſima ſane eſt, quod cum tibi multis nominibus, & ego, & patruus meus Bernardinus plurimum obſtricti ſimus, ingrati animi nota inurerer, ſi benevolentiae erga me, patruumque meum tuae, ſignum aliquod vel exiguum exhibere tibi detrectarem. Neque tu ſolus es, qui me tantopere amas: nam fratres quoque tui dignitati meae ita favent,

ut

ut omne ſuum conſilium , ſtudium , officium, operam ad amplitudinem meam conferant. De quorum doctrina , & integerrimis moribus nihil prorſus dico . Nemo enim eſt , qui ignorat Joſephum - Antonium fratrem tuum quanta cum laude Vicariatus Generalis munere in Brunduſina , Triventina , Guardia-Alpherina , aliiſque inſignibus Dioeceſibus perfunctum eſſe : Epiſcopi munus non ſemel , ſed iterum , atque iterum ultro oblatum , conſtantiſſime recuſaſſe . Ceteros fratres tuos , Hieronymum ſingulari vitae integritate virum , Ferdinandum ſapientiſſimum Juriſconſultum , & clariſſimos Nicolaum , & Dominicum - Antonium generoſiſſimos Dynaſtas, praeter fratris filios Felicem , & Philippum Litterarum candidatos , ſummaeque ſpei adoleſcentes . Sed his accedit etiam , & bonorum fortunae non mediocris cumulus , quorum bona pars in pauperes erogatur . Haec autem & alia , quae omnibus ſatis nota ſunt , facile praetermitto . Quantum vero , ut principio dicebam , tibi debeam, & illud maximo argumento eſt , quod tu de me ſollicitus , fortunarumque mearum amplificator ſemper extitiſti . Quamvis igitur munus pro tot in me, patruumque meum tuis meritis, exiguum ſatis ſit, ſive ex tua , ſive ex ſua dignitate ſpectetur : muneris tamen tenuitatem , humanitatis tuae magnitudinem , pondus addituram ſpero . Vale .

Dabam Neapoli.Idib.Quintil.MDCCLXVII.

JO-

JOSEPH MOSCA
LECTORI
S.

QUOTQUOT auctores hactenus doctiſſimi de Aquae uſu, in morbis perdomandis, ſcribere aggreſſi ſunt, id negotii ſolum ſibi dari crediderunt, ut de aquae gelidae, ſive nive frigefactae uſu, ejuſque recta adminiſtrandi ratione diſſererent. Quid vero aqua aut naturalis, aut calida in morbis curandis poſſit, & quantum haec aquae methodus aliis omnibus, inedia accedente, antecellat, & quam tuto ubique terrarum adhiberi poſſit, & debeat, demonſtrare annifus eſt adhuc nemo. Hinc *non immerito praeſtantis ingenii juvenis* Philippus *Colanerius in hac diſſertatiuncula, quam tibi ſiſto, eo, quo pollet, ingenii acumine, omnia, quae dixi, ad aquae methodum pertinentia complexus eſt. Quare, etſi de aquae frigidae in morbis uſu argumentum ſit a multis pertractatum, hic actum egiſſe cenſendus non eſt, ſi, quae argumento deerant, addidit, explicavitque. Quod ut pateſiat, rem omnem paulo fuſius enarrabo.*

Cy-

Cyrillus, Lanzanus, Creſcentius, & mihi amicitia conjunctiſſimus Conte magno experimentorum, rationumque apparatu, quid aqua frigida in febribus, multiſque aliis tum acutis, tum chronicis morbis poſſit, & qua methodo adminiſtrari poſſit, & debeat, ſatis ſuperque oſtendiſſe non immerito creduntur. Sed quoniam naſcentis methodi initio multa adhuc obſcura erant, & difficultatibus involuta, res prorſus perfici non potuit. Eorum nemo de aquae ſive naturalis, ſive calidae uſu aliquid, quod alicujus momenti ſit, nobis ſcriptum reliquit; de hujuſce remedii generali in morbis uſu ne verbum quidem pronunciavit. Lanzanus tantum, ubi de interno abſceſſu *loquitur, aquam calidam tantummodo commendat. Conte de aquae calidae uſu tractatum promittit, quem tamen videre hactenus non contigit; licet hoc mihi certum ſit, doctiſſimum Auctorem de hiſce rebus multa praeterea conſcripſiſſe. Valliſnerius vero nimium aquae frigus veluti pertimeſcens in acutis omnibus calidam, quam frigidam adhiberi tutius, oſtendere conatur. Denique omnes multa naſcenti methodo convenientia quidem praecepta praeſcribunt, quae tamen doctrinae huic jam adultae aut vix utilia, aut ejus progreſsui impedimento eſſe deprehenduntur. Neceſſe igitur erat, ut aliquis methodi hujus omnium adhuc feliciſſimae, initia, progreſſum, atque augmenta experientiae, & rationi reſpondentia Litteris conſignaſſet. Sic enim fiet, ut, ubi juxta ſuas indicationes, aqua frigida adhibetur, naturalis quo-*

que

que & calida in uſum venire incipiet. Apud exteras vero nationes veteris methodi adhuc tenaces, novitatis metus excutietur, atque omnis generis obſervationibus medici admoniti, methodum univerſalem eſſe, atque ubique terrarum adhiberi poſſe tandem fatebuntur.

Noviſſima igitur methodus curandi morbos acutos jure inſcribitur haec diſſertatio; quandoquidem non frigidae tantum methodum, ſed aquae cujuſcumque, accedente inedia, uſum edocet. Neque eam, adparente tantum coctione, ſicuti naſcentis methodi initiis fieri conſuevit, adminiſtrari debere oſtenditur; ſed in quocumque morborum ſtatu, aquae frigidae, naturalis, & calidae ſervato diſcrimine, quo ordine, quave ratione adhiberi poſſit, praeſcribitur. Praeterea, cum uſu compertum ſit, alia quoque medicamenta, modo ſuis indicationibus locus ſit, cum aquae uſu non modo utiliter, ſed neceſſario quandoque conjungi, Neapoli praeſertim, aliiſque Italiae locis, quo omnis nationis homines confluere, atque aegrotare ſolent: duo veluti hinc confecit Noviſſimae methodi auctor, felici conjugio aquae uſum cum medicamentis aliis componi, atque omnis gentis hominibus mothodum convenire. Quae naſcentis methodi ſcriptores aſſeverare dubitarunt, & adhuc fortaſſe ſunt, qui id non rite fieri exiſtiment. Unde eſt, quod ejus generis ſcriptum, ſit hac noſtra tempeſtate neceſſarium.

Accedit & illud, quod animadvertiſſe operae pretium eſt, omnes aquae frigidae ſcriptores in theoriis receptis, pluſquam ſatis eſt, immorari,

cum

cum maxime in practicis praeceptis tempus terere debuerint. Quare operam ſuam utiliter magis collocare Colanerius noſter credidit, ſi theoria poſthabita, practicis canonibus adhaeſerit. Demum ſcias velim, quod ſi benigne juvenile hoc opus excipies, poſt aliquot fortaſſe annos, methodorum cujuſque ſectae medicae, per ſua tempora digeſtam hiſtoriam criticam, cujus ſcriptum hoc veluti particula eſt, numeris omnibus abſolutam habebis. Vale.

NO-

NOVISSIMA METHODUS

Curandi morbos acutos Inedia, & Aqua.

I. Prooemium, quo ex quamplurimis methodis genuina ſeligenda proponitur.

II. Omnes tum antiquae, tum recentiores acutos curandi methodi recenſentur, & deſcribuntur.

III. Noviſſimam, omnium citiſſime, tutiſſime, & jucundiſſime morbos curare demonſtratur.

IV. Argumenta, quae contra generalem hujus methodi uſum faciunt, proponuntur, & refelluntur; eamque ubique locorum tuto ſervari poſſe probatur.

V. Ejus methodi canones proponuntur, atque explicantur.

I.

1. QUONAM mortalium fato factum ſit, ut tot ſeculorum curriculo, cùm primùm eorum ſalutis cura (1) ſelectis hominibus demandata fuit, nondum vera, & proficua acutos curandi methodus inventa fuerit, prorſus ignoro. Ab Hippocratis uſque temporibus magna inter me-

(1) *Non facillimum eſt tempus definire, in quo Medicina Artis habi-*

medicos, praeſertim de victus ratione, diſſenſio fuit. (1) Quidam enim (2) ptiſanas non colatas, eodem do-

lente

habitum induerit, ſive quod idem eſt, in quo ſelecti homines proprios ſe dederint gerendae curae valetudinis civium ſuorum. Ipſa tempora debent diſtingui. Primum antiquiſſimum, de quo abſque ulla memoria hominum ex ſola rei ipſius natura aliqua poſſumus definire, & de eo ſtatim dicemus. Alterum fabuloſum eſt, cujus monumenta habemus, ſed floribus ſermonis, & arbitrariis ornamentis deformata. Tertium hiſtoricum, & de ejus quidem rebus geſtis ex ſeriis virorum gnarorum commentariis nobis conſtat. Erat forte ante diluvium, erat a diluvio ſenex unus, aut alter ſuis, vel aliorum caſibus, aut propria quadam, ut homines ſolent, curioſitate, in iis verſatior; ſibique placens, quae humanam valetudinem vel laedunt, vel laeſam reſtituunt. Talem fabulae, antiquiſſimum hiſtoriae genus, docent fuiſſe Phoebum, vel ſolem: verum is Phoebus fuit Horus Aſſyriorum Rex &c. Albert. Haller comment. ad Inſtitut. Boerhaav. in Prolegom.

(1) *De victu acutor.*

(2) *Ptiſana* ἀπὸ τȣ πτίσσειν *a pinſendo, & excorticando; quamobrem quidquid a cortice purgari poterat pinſendo, id vocabitur ptiſana, quod omnibus cerealibus commune eſt, propterea ex illis ptiſana parari poteſt, non tamen ſimplici ptiſanae appellatione, ſed addito frumenti, ex quo parabitur, nomine; quae vero ex hordeo citra adjectionem ptiſana nuncupatur.... Optimum itaque hordeum ſumebant in aqua puriſſima primum maceratum, mox in mortario manibus tamdiu pinſere, contundere, atque conterere ſolebant, ut cortice omni depoſito, tenuis illa membrana deglubatur.... coquitur mox donec plurimum intumuerit, poſtea igne lento diutius in ſuccum redigitur; tunc vero acetum illi admiſcebant, quantum guſtui ſatis eſſet; peracta vero coctione ſub edendi tempus ſalis exiguum imponebant, aliqui etiam anethi, aut porri aliquantulum admiſcebant. Haec erat ptiſanae praeparatio, cujus frequenter Galenus meminit; illos etiam damnat qui poſt levem coctionem ſapam injiciunt, aut mel cum cumino. Haec vero ptiſana ab antiquis tota ptiſana, vel non colata dicebatur, quod ſi vero linteo, vel cribro percolabatur, itaut pars craſſior, & magis terreſtris abjiceretur, tunc ptiſana colata, ſeu ſuccus ptiſanae nuncupabatur.* Ludovic. Nonn. de Re Cibar. lib. 4. cap. 19.

lente magiſtro, perpetuo exhibebant; & recte curare ſeſe exiſtimabant: alii omnino contendebant, ut nullum hordeum aeger voraret, ſubſequuturam inde, quae inſignis eſſet, offenſam veriti, ſed cremorem linteo colatum porrigebant: alii vero neque craſſam ptiſanam, neque cremorem exhibebant; atque ex iis quidam quoad aeger ad ſeptimam uſque perveniſſet diem: alii perpetuo donec morbus judicatus fuiſſet. Inſequentibus inde temporibus, placuit medicorum quamplurimis cibos plenos acuto morbo detentis exhibere, in eo autem religioſiſſimi, quod aquae ne minimam quidem guttam deglutiri patiebantur. Inter hos neque defuit diſſenſio: quidam enim ad ſeptimam uſque diem hanc methodum ſervabant, qua elapſa, ſubtracto omni cibo, aqua frigida utebantur: dum interea nonnulli diſpari ingenio, donec morbus, vel aegrotus judicatus fuiſſet, hanc ciborum normam conſtanter adminiſtrabant. Recentiores vero, re melius perpenſa, in diverſum ſenſum abiere, cum ſola aqua contenti ſint. Ego interim horum diſſidiorum mitto cauſas, quas fato hominum jam initio tribui. Illud tantum exponere mihi in animo eſt, quaenam ex tot tantiſque acutos curandi methodis rationi, ac experientiae conſona magis ſit, quaeque & brevitate, & ſecuritate, & jucunditate omnibus praeſtantior videatur. Quod, ut facilius aſſequamur, omnes & ſingulas methodos ad hanc uſque diem in acutorum curatione ſervatas recenſere, atque deſcribere non gravabor.

II.

2. Ad quinque claſſes, praecipuas methodos, quas

duorum, & viginti ſeculorum ſpatio (1) (ab Hippocrate ſcilicet ad noſtra uſque tempora) medici in morbis acutis ſervarunt, commodè reducendas cenſeo. Quae namque ex his apud Hippocratem, Celſum, Galenum, Avicennam, ceteroſque Graecae (2) Latinae (3), & Arabicae (4) Scholae magiſtros potiſſimum invaluit, ea jure merito *Hippocratica* methodus vocari poteſt. Altera, quam plerique, ac praeſertim methodicae ſectae addicti amplexati ſunt, *Methodicorum* nomine venit. Tertia, cujus quidam perfrictae frontis medici tum ex antiquis, tum ex recentioribus, maximeque qui pro Galenicis sese temere venditabant, vindices fuerunt, *Pſeudogalenicorum* dicenda. Quarta quae apud noſtrates Italos, Siculos praeſertim, & Neapolitanos non multis ab hinc annis in uſu eſſe coepit *Aquae frigidae* methodus appellatur. Poſtrema, quae hac tempeſtate Neapoli praeſertim viget, *Genuina naturae methodus* non abs re fortaſſe nuncupabitur. De hac prolixius agam, de reliquis vero obiter aliqua ad diaetam tantum ſpectantia, innuiſſe ſufficiet.

§. 1. His poſitis, ab antiquiſſima methodo exordiamur. Medicorum vetuſtiſſimi in univerſali morbi princi-

(1) A mundi principio ad Hippocratem uſque per annos nempe 3538. vel ducente Natura, vel pauca, & non recte excitata experientia, homines morbos curaſſe credibile eſt.

(2) Graecorum principes poſt Hippocratem, & Galenum fuerunt Aretaeus, Ruffus Epheſius, Oribaſius, Paulus AEgineta, Aetius, Alex. Trallianus, Actuarius, Nic. Myrepſus, aliique.

(3) Latinorum principes fuerunt Aurelius Cornelius Celſus, Q. Serenus, Trotula, Marcellus, Scribonius Largus, Soranus Epheſius, C. Plinius Secundus, L. Apuleius Madaurenſis, Antonius Muſa, AEmilius Macer, Strabus Gallus, Caelius Aurelianus, Theodorus Priſcianus, ceterique.

(4) Arabum principes fuerunt Rhaſes, Avenzoar, Avicenna, Averrhoes, & in Pharmaceuticis Meſue.

cipio, cruditatis nempe ſtatu, ſola (1) mulſa, oxymelle (2), vino, aqua, vel ptiſanae cremore, praecipue cum ventriculus cibo infarctus fuiſſet, utebantur. Apparentibus deinde coctionis ſignis, aegrotantibus qui ſemel in die cibos ſumere conſueverant, ſemel, & modicum, qui vero bis, ptiſanam bis adminiſtrabant,

(1) *Mulſam Latini vocant aquam melle temperatam, Graecis μελίκρατον, vel etiam ὑδρόμελι dicitur . . . Mulſam aliam dilutam, aliam meracam ſtatuit. Ex quibus conjicere poſſumus dilutam mulſam eſſe quam Paulus AEgineta deſcribit, utpote quae octuplum aquae melli miſcet. Meracam eſſe Dioſcoridis, & Plinii, quae duabus aquae menſuris, & una mellis componitur*. Nonn. lib. 4. cap. 14. *Mulſum nil aliud eſt, quam vinum melle conditum, cujus Author ſecundum Plinium fuit Ariſtaeus, qui prius mel vino miſcuit Graecis οἰνόμελι. Hodie mulſo non utimur, ſed potione ex vino Saccharo, & cinnamomo. Hanc vulgus claream, vel Hippocraticam potionem indigitat*. Idem lib. 4. cap. 12.

(2) *Parabatur multis antiquorum ex aqua ſalſa: non video quid inde caperet neque commoditatis, neque ſuavitatis. Galeno ex aqua dulci parabatur, atque, ut arbitror, etiam Hippocrati. Nam ſal facultatibus, quas illi ineſſe Hippocrates dicit, multum detraheret. Nam neque ſputum bene educunt ſalſa, neque facilem reddunt ſpirationem. Galenus oxymeli parat ex mulſa addens acetum, additur vero illi neceſſario aqua, ſed ejus ſunt differentiae, quoddam enim eſt ſimplex quod nihil accipit praeter aquam mel, & acetum: quoddam compoſitum, cujus multae ſunt differentiae, ut ſunt multa quae cum his miſceri poſſunt. Ut oxymeli ſciliticum, & oxymeli ex radicibus quinque, aut duabus, & quodcumque aliud ſerapium accipit acetum. Simplicis etiam ſunt differentiae ex quantitate aceti, cujus plus accipit, aut minus; quoniam vero, quae inde capiuntur, infinitae ſint differentiae rediguntur in tres, doctrinae gratia, quarum quamlibet neceſſe eſt habere amplam latitudinem. Eſt enim oximeli dilutum, meracum, & mediocre: ut vero mulſa meraca, aut diluta ob mel dicitur, ita oxymeli ob acetum. Mediocre ergo oxymeli, cujus in officinis eſt uſus, quod accipit duplum mellis, quam aceti, & aquae quadruplum* Franciſcus Valleſ. comment. ad Hipp. de ratione victus in acut. p. m. 119.

& quò magis coctionis ſigna apparebant, eò plus priſanae uſque ad judicationem exactam dabant. Decedente tandem morbo, ad liberaliorem nutritionem deveniebant. (1)

4. II. Secundo loco Methodicorum curandi ratio recenſenda (2). Aſclepiades Bithynus methodicae ſectae princeps, ejuſque diſcipuli Theſſalus, Heraclides Tarentinus, aliique in primis duobus, aut tribus morbi diebus, eoque magis ſi a repletione ortum traheret, omnem prorſus cibum, imo & potum aegrotantibus interdicebant, unde *Diatritarii* dicti fuere: imò tam durum inediae genus ad quartum diem Themiſon Laodiceus, & ad octavum uſque Diocles Cariſtius protrahere haud dubitarunt: quo tranſacto, panem, vinum, imo carnem ipſam, viribus, quas longa inedia confregerat, ut occurrerent, liberaliùs permittebant. Diatritariorum autem cibandi ratio admiratione ſane digna eſt. Ii namque, referente Galeno, (3) primum in quarto aegrotos cibabant, deinde in ſexto, mox in octavo, tandem in decimo. (4)

5. III. Ad Pſeudogalenicorum methodum nunc gradum faciamus; cujus naturam priuſquam exponamus, haud abs re erit ejuſdem originem breviter enarrare, nempe qui factum ſit, ut multis abhinc retro ſeculis medicorum quamplurimi medendi methodum Ga-

(1) Confer Hippocratem de ratione victus in morbis acut.

(2) Aſclepiades floruit A. M. 3825., vel ſecundum alios 3939; A. ante C. N. 137., vel ſecundum alios 63.

(3) Lib. X. method. medend. cap. 6.

(4) Videtur autem haec methodus ſatis antiqua fuiſſe. Hippocrates enim (de victu acutor.) jam dixerat *ſe noviſſe medicos his quae deceant maxime contraria facientes. Volunt enim omnes ubi ſub initia morborum homines, aut duos, aut tres, aut etiam plures dies inedia praemaceraverint, ita tum ſorbitiones, tum potus exhibere.*

Galeni menti prorſus adverſam ſequerentur, dum interea pro legitimis Galeni Sectatoribus jactabantur. Seculo a CHRISTO nato V. e ſeptemtrione agmina barbarorum in univerſam Europam venerunt, qui Medicinam ſicut, & reliquas facultates deleverunt. Feroces enim populi armis tantum addicti ignotas ſibi diſciplinas contemtui habebant, diſſipabant ſcholas, inflammabant cum ipſis urbibus bibliothecas. Hinc cum eximii artium profeſſores de vita ſolliciti hac illac vagarentur, cumque tunc temporis nondum ars typographica fuiſſet adinventa, ac proinde Graecorum, Latinorumque authorum monumenta, vel in bibliothecis publicis, vel apud doctos Principes tantum MSS. extabant, his incenſis, omnium artium praeſertim liberalium cognitionem deleri ex ipſa temporum conditione neceſſe fuit. Credibile tamen eſt, medicinam ceterarum facultatum maxime neceſſariam, eodem tempore, vel paulo poſt nonnullos alterius forſan artis profeſſores, rudi quodam modo exercuiſſe, atque tradidiſſe aliis quandam medendi rationem concinnatam, vel ex his quae fortuito in morborum curatione contigerant, aut ab iis quae MSS. forte fortuna reperiebantur, aut demum quae ex aliorum traditione receperant. Quod medendi genus quam obſcurum, confuſum, & perperam intellectum fuiſſet, vel ex eo cognoſci poteſt, quod ne nomina quidem authorum recte callebant, cum Galenum, *Galienum*, & Hippocratem *Hippocraſſum* appellaverint. Atque hinc pſeudogalenicorum primordia repetenda eſſe exiſtimo, quorum nomine eos intelligo, *qui dum se Galenum ſequi blandiebantur, curandi rationem prorſus ejus menti contrariam ſectabantur*.

6 Seculo IX. Arabes, relictis ſuis ſedibus, devaſtatis innumeris Aſiae, Africae, Europaeque provinciis,

litteras, quae pene jacebant, ferventiſſime excitare coeperunt, & praecipue medicinam in Hiſpania, in quam artes humaniores confugerant (1). Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni opera in ſuam linguam verterunt, ni fidem praeſtare velimus Freind (2) exiſtimanti primas authorum graecorum verſiones in ſermonem Siriacum fuiſſe factas, quarum ope Arabes paullatim graecorum ſcriptorum cognitionem habuiſſe. Quicquid de hoc ſit, ob graecae linguae imperitiam in graecorum verſionibus pleraque commutata, vel potius perverſa fuiſſe a Siris, ſive Arabibus, vel ex eo poteſt evinci, quod ex multis illis Galeni voluminibus, quae ex arabico ſermone traducta affirmantur quaedam graece non extent; itaut fidenter nimis tribuerent Galeno, praeſertim, & Ariſtoteli quae ne ſomniarunt quidem. Hinc factum fuiſſe credo, cur Arabum adventu pſeudogalenicorum methodus non ſteterit modo, ſed etiam longe, lateque diffuſa fuerit.

7. Seculo tandem XIII., cum plerique graecae linguae peritiſſimi magnam inter codicem graecum, atque verſionem arabicam operum praeſertim Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni, diſcrepantiam animadvertiſſent; ea e genuinis codicibus in latinum ſatis accurate trasferre curarunt. Harum verſionum ope pſeudogalenicis tandem innotuit, quam Galeni menti eorum curandi ratio adverſa eſſet, quorum nonnulli palinodiam canere non erubuerunt, & veram Hippocratis, & Galeni doctrinam amplexati fuere, quamplurimi contra ad finem uſque praeteriti ſeculi pernicioſam, quam ſervabant methodum, relinquere nefas exiſtimarunt, quorū fortaſſe reliquias in hoc feliciſſimo, luminoſiſſimoque ſeculo, variis adhuc in locis, ſuperſtites

(1) V. Albert. Hall. in Prolegom.   (2) Hiſt. Medicin. p. m. 89.

ſtites eſſe, mirari ſaepius contingit. Eorum methodus erat hujuſmodi.

8. Statim ac quis leviter incaleſcebat, aut gravi afficiebatur morbo, nulla neque morbi ideae, neque aegrotantis naturae, aetatis vel habitus, neque regionis coelique ſtatus conditione ſervata, aliam non excogitabant opem, Lanzano teſtante, quam ſanguinem mittere, alvum purgare, & cuti veſicantia affigere, ut non immerito modo laudatus Author pluribus in locis ſuarum Actionum (1), eos *Stercorarios*, & *Sanguinarios* appellet; dum interea qui Helmontium, & Paracelſum ſectabantur, ejus generis praeſidia e foro medico exturbare magnopere conati fuere. Pſeudogalenici inſuper a prima morbi die, quibuſcumque ejus temporibus cibos duros, & digeſtioni ineptos exhibebant aegrotis, quos ne benevalentium quidem ſtomachus perferre potuiſſet. At me miſerum! tantalea dum laborarent ſiti, vel paucis aquae guttis os elui non ſinebant. Quapropter terque quaterque felices illius oevi agreſtes (2) qui in ſuis morbis ſapientem naturam tantum conſulentes, ut libere aquam potarent, cum ſitis urgeret, & fame premente ad cibaria ſeſe converterent (3). Atque haec profecto dicenda eſt cu-

(1) Ciceronem ſectatus Lanzanus edidit opellam, cui titulus: In Pſeudogalenicos, ſive in eos qui Phlebotomiam, Cathartica, & Veſicantia remedia effrenate, temere, & inconſulte praeſcribunt, Actiones tres.

(2) Hercules Bentivoglio ſic cecinit in agreſtium laudem.

Però ſaggiò il Villan chiam' io, che quando
Egli ha la febbre, e che più arde, e bolle
Non va cura di Medico cercando,
Ma nel gran paroſiſmo il fiaſco tolle
Dell' acqua, e tanto bee, che poi diviene
Di ſalubre ſudor ſovente molle.

(3) Pſeudogalenicorum methodum luculenter deſcribit Maxentius Pic-

curandi methodus illorum, qui ad aegrotantes accerſiti elatis ſuperciliis,& manibus barbam ſubſtinentes veſtigia Galeni ſtudioſe ſeſe premere venditabant. Quae quam Galeni menti adverſa ſit vix ullus eſt, qui ignoret. Quod ut apertius cognoſci poſſit,en in promtu Galeni methodum (1). *Me quoque ſubinde vidiſti*, ad Hieronem ſcribit, *eos qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent ſub longa inedia tenuiſſe, ſic ut prorſus ante ſeptimum diem non cibarem, ſed ſola mulſa contentus eſſem, viribus ſcilicet valentibus: quoſdam eorum, quibus videlicet vires validae non fuerant, aut ſtomachus bilioſus, aut imbecillis, aut plus juſto ſenſilis, ſolo ptiſanae cremore uſque ad ſeptimum diem traxi, quo morbus declinare debuerat, aut etiam omnino per criſin diſcuti*. Haec Galenus. Conferamus igitur, ſi lubet, eorum inſulſam medendi rationem cum aureis Galeni verbis, & non tam ignem aquae, lucem tenebris, bello pacem, quam illam his reperiemus adverſam.

§. IV. Ordinis ratio poſtulat, ut ad aquae frigidae methodum modo deveniamus. Antequam vero hujus methodi naturam explicare aggrediamur, breviſſime hiſtoriam ejus contexere operae pretium me facturum exiſtimo. Noſtri ſeculi initio ab Hiſpania Neapolim venit monachus quidam ordinis Divi Petri de Alcantara una cum fratre ſuo presbytero, ac medicinae profeſſore, qui nonnullis Neapolitanis Medicis MS. (2) aliquod legendum tradiderunt aquae frigidae infinitas pene laudes complectens. Ab his itaque apud obſcurae conditionis homines, hujuſmodi aquae uſus primum revocatus (antiquiſſimum enim eſt remedium

Piccinus in Apolog. pro Jacob. Bonaventur. adverſ. Marium Zuccar.

(1) Lib.X.Method.medend. cap.5.

(2) Hujus MS. ſpecimen praebet Lanzanus in Methodo aquae frigidae lib. 2. cap. ultim.

dium (1)) inde ulterius , ac latius diffuſus ; brevi tandem tempore morborum praeſertim deſperatorum felici plerumque ſucceſſu , incrementum non ſine fama ſuſcepit . Primus autem omnium curationis cujuſdam experimento edoctus Auguſtinus Magliani Medicus Neapolitanus , atque ab his de hujus remedii adminiſtrandi methodo (qua de cauſa ipſis ſeſe collegam praebuit) certior factus , primus , inquam fuit , qui hic Neapoli cuique febriculoſo exclamanti cum Dea Latona

Hauſtus aquae mihi nectar erit , vitamque fatebor
Accepiſſe : ſimul vitam praebetis in undis .

Audacter cum Ovidio (2) dixit

Sed bibe plus etiam, quam quod praecordia poſcunt,
Gutture fac pleno ſumta redundet aqua .

atque ſola aqua, nive refrigerata,morbos ab omni ope humana deſtitutos , ut ajebant , jucundiſſimè curare coepit; quorum interim morborum felix ſucceſſus, cum mirum in modum ſuis reſponderet votis , ne aliis medicis hoc tam praeſtans aquae remedium innoteſceret, quendam cum aqua , pro nitro poſt aliquod temporis deprehenſum , pulverem commiſcuit . Hinc callidioribus medicis merito dubitandi data fuit occaſio , quin arte potius ſua , quam re exigente tantillo pulveris aquam praefatus medicus adſpergeret.Quapropter ſimplicem aquam juxta antiquorum methodum medici ſuis aegris exhibuere ; donec eodem ſucceſſu morbos curari cum vidiſſent , de Magliani amplius induſtria non dubitarunt ; ſicque inſigne hoc de aquae uſu arcanum om-

(1) Id mirifice Nicolaus Contè demonſtrat. V. etiam Lanzanum in methodo de Aqua frigida P. II. cap.XXV.
(2) De Remed.Amor.

omnium in conſpectu poſuerunt (1). Methodus itaque haec erat.

10. Ad ſeptimam fere diem pſeudogalenicorum methodum religioſiſſime ſervabant: qua elapſa, atque ingraveſcentibus ſymtomatibus, ſubtracto aegrotantibus omni cibo, omnique remedio ſolam aquam nive refrigeratam ad libram unam, aut alteram pro aegrorum temperie, & febris magnitudine, ſecunda, vel tertia quaque hora, noctuque diuque, vel renuentibus exhibebant. Tranſacto triduo cibus ſed parcus, & non valde nutriens, ut ova ſorbilia, paſtilli, vel quid ſimile bis, vel ſemel in die permittebatur: mox poſt aliquas horas a cibo ad aquae frigidae potiones iterum deveniebant, quae eò parcius exhibebantur, quò aeger ad meliorem ſalutis ſpem reſtitutus cognoſcebatur, interim cibus ſenſim augebatur (2). Haec itaque illa fuit methodus, quae noſtri oevi initio maximo cum plauſu ſurrexit, & adhuc in nonnullis Italiae locis conſtanter obtinet. Quid ego de omnibus his methodis exiſtimem inferius patebit.

11. v. His itaque de nonnullis morborum acutorum curandi methodis breviter delibatis ad hodiernam, ſive ad genuinam Naturae methodum tandem deveniamus. Statim ac medicus (haec quidem eſt methodus) ad quempiam acuto morbo detentum, etiamſi prima mor-

(1) Confer apud Valliſnerium de Uſu; & Abuſu Potuum; & Balnearum calidarum aut frigidarum, epiſtolam Felicis Roſeti noſtri oevi, Neapolitanae Medicinae facile principis, ſub 25. Februarii Anni 1725.

(2) Qui plura hujus methodi cupit, adeat doctiſſimos tractatus Nicolai Lanzani, Nicolai Cyrilli, Nicolai Creſcentii, & Nicolai Conte adhuc viventis, praeter Jacobum Todarum Panormitanum, ceteroſque.

morbi die accedat) quoniam primis duobus , tribus , & pluribus forſan diebus , ut plurimum Medicus non accerſitur) ſubtracto omni cibo , tum praemiſſo carthartico medicamento , aut emetico , prout poſtulaverit neceſſitas, aqua, vel calidâ , vel naturali , vel frigidâ, pro earum rerum diverſitate, quae contingunt , diligentius utatur .

12. Prima itaque morbi die, quia generaliter morbi materia cruda , ſive etiam nondum ſubacta , & tenuis ſupponitur; ac praeſertim ſi internae inflammationis ſuſpicio , vel pectoris praecipua affectio , veluti pleuritis , peripneumonia , vel cujusque naturae catarrhus ſupervenerit , non praetermiſſa pro viribus aegrorum , & ſymtomatum magnitudine phlebotomia, aquam calidam exhibere neceſſe eſt . Atque in hujuſmodi aquae uſu , uſque dum expectorationes in morbis pectoris boni ominis fuerint , vel omnis internae inflammationis ſuſpicio evanuerit , perſiſtendum . Ubi vero res aliter se habeant , ceſſent , vel diminuantur expectorationes , & nullum internae inflammationis ſignum ſuperſit , eoque , vel maxime , ſi urinae non multum , & rubicundi coloris excernatur , & febris mediocritatis limites exceſſerit , aqua naturalis ſubminiſtretur .

13. In reliquis vero morbis ubi nulla pectoris noxa adeſt , aqua communis in prima , & altera morbi die pro aegrorum appetitu , & optione ter nempe , aut quater in die eſt repetenda . Elapſis aliquot diebus , majori copia , & ſaepius erit exhibenda . Cum vero incipientis coctionis ſigna appareant , vel pulſus debilis , motus icticativi , extremorum frigus , delirium, coma , vel hujus generis alia ſupervenerint pro naturali frigida propinetur .

14. Frigidae autem potiones pro ſymptomatum

natu-

natura augeantur, vel minuantur: unde ſitis, urinarum accenſio, pulſuum languor, aut orgaſmus, & febrilis calor adauctus aquam (1) frigidiorem ex poſcunt,

(1) Lubet hic varios antiquorum refrigerandi aquam, & vinum modos in gratiam incolarum quibus nivis beneficium deeſt, recenſere. *Variis modis aquam refrigeratam veteres potare conſueviſſe invenio. Eos enim, nivibus, antiquiſſimis uſque temporibus, illud egiſſe quam nivatam vocat Theodorus Priſcianus lib.2.cap.13. Satis Athenaeus ex Alexi, Dexicrate, Eutycle, & Xenophonte in 3. Dipnoſ. probavit, ubi etiam nives potaſſe, eaſq; in foſſis magnis quibus quernos ramos ſuperinjiciebant conſervare conſueviſſe memoriae mandavit. Quod Plutarchus in 6. sympoſ. fieri quoque ſolitum ſcribit cum paleis, & rudibus pannis, nivibus circumductis, eaſque ab aere tuentibus, & frigiditate acquiſita, conſervantibus. Protagorides lib. comicarum hiſtoriarum ſecundo, quoddam militum Antiochi regis refrigerandae aquae artificium memorat, quòd ſcilicet aquam die in aprico loco ponebant, & quod craſſum erat nocte incipiente excolantes, reliquam noctis partem in hydriis fictilibus ſub dio in editioribus domus partibus exponebant, per totam deinde noctem duo pueri ipſa vaſa exteriùs irrigabant, & diluculo incipiente purgantes rurſus, faecemque ſubtrahentes, & tenuem ipſam aquam, maximeque ſanitati idoneã facientes, inter paleas hydrias ipſas collocabant, ſicque demum illa utebantur nullam nivis inopiam cognoſcentes. Non admodum ab hoc diverſus erat ille refrigerandi aquam modus, quem Galenus in Alexandria, atque univerſa AEgypto ſervatum ſe vidiſſe teſtatur 4. commen. 6. Epid. ubi occidente ſole prius calefactam aquam teſtaceis vaſis inſiciebant, eaque vaſa feneſtris ad ventos expoſitis, ut tota nocte refrigerarentur ſuſpenſa, deinde ante ſolis exortum humi depoſita, frigida aqua conſpergebant ac interdum ipſis folia frigida vitium, lactucae, & ſimilium circumponebant, ut frigus aquae noctu acquiſitum interdiu conſervaretur. Semus Delius libro Neſiadis ſecundo in Inſula Cimolia loca refrigeratoria excavata ſcribit, in quibus aeſtatis tempore vaſa fictilia tepida aqua plena deponebant; poſtea aquam nulla re nivibus differentem exportabant. Alium refrigerandi aquam modum fuiſſe diſputat Plutarchus ex Ariſt. 6. Sym., ubi cotibus, & ſilicibus, nec non plumbeis laminis aquae injectis eam refrigerari demon-*

ſcunt, & contra. Non raro pro faciliori aquae tranſitu a calida ad naturalem, ab hac ad frigidam, in quocunque morbi ſtatu gradum facere non abs re erit; imo

monſtrat. In puteis quoque vinum refrigerandi morem habuiſſe veteres teſtantur Strattis in Refrigeratoriis, & Lyſippus in Bacchis. Ceterum Neronis poſtremum aquae refrigerandae inventum nullo praedictorum ignobilius extitit, qui ut frigoris voluptate abſque nivis vitiis frueretur, aquam decoqui ſibi, vitroque demiſſam in nives refrigerari curabat. Hieronymus Mercurial. Variar. Lection. lib. I. cap. VIII. Nonnius de re cibar. lib. IV. cap. 5. alium affert ſui oevi refrigerandi aquam modum his verbis. *Noſtro oevo etiam inventus eſt modus refrigerandi aquam ſalnitro, quod aqua diſſolutum egregie illam refrigerat, ſed neceſſe eſt lagenam, qua vinum, vel aqua continetur continuo agitare, quo potus frigidior reddatur, non ſecus ac ſi nivi vel glaciei eſſet impoſita.* Quatuor igitur ſunt refrigerandi modi nunc in orbe cogniti; aere videlicet, puteo, nitro & nive. Nicolaus Monardes in tractatu de Nive & ejus efficacia, ex Hiſpanico ſermone in latinum a Carolo Cluſio reddito, varios affert refrigerandi aquam cum nive modos. *Duobus autem modis,* inquit, *nunc fit cum nive refrigeratio. Uno ut vaſa, ſeu lagenae refrigerandae in nive ſepeliantur, quod fieri poteſt, ubi nivis eſt copia: eaque ratione citius, & magis refrigeratur; quod etiam glacies praeſtat. Altero faciliore, & cum pauca nivis quantitate implendo vas ea re quae refrigeranda eſt, deinde operiendo lance argentea, aut vitrea, cava & profunda, ut attingat, quod refrigerandum eſt, in quam cavitatem nix injiciatur, ſubinde liquatam effundendo, niſi enim illa effundatur magis adhuc liqueſcet, iſta ratione valde refrigeratur etiam tam intenſe, quam quis deſiderat temperando frigiditatem, prout quiſque cupit. Alii refrigerant injecta in labellum nive, quod in eo quod refrigerandum eſt ponunt, natareque aut ſtare ſinunt, ſubinde aquam liquatam effundendo. Idem faciunt cum tubulo e Mediolanenſi lamina conflato, quem nive repletum in ea re ponunt, quae refrigeranda eſt, ſtareque permittunt, quod fit in cantharis, aut urnis .... Alii nivem in caniſtrum injiciunt ſupra paululum ſtraminis poſitum (ſic enim nix diu conſervatur) deinde ſupra nivem labrum continens quod potandum eſt, conſtituunt: ex iſta ratione pleraque ſequuntur com-*

Imo ubi aqua frigida exhibetur ſi aliqua inflammationis ſigna appareant, ſive in pectore ſive in imo ventre, illico haec ſubtrahenda, & naturalis, praecipue ſi aeſtus maximi fuerint, & urinae accenſae, ſubminiſtretur; quae ſi abſint majori cum fructu calida exhibebitur.

15 Quamvis hoc remedium, Aqua, omnes indicationes in acutorum curatione compleat, alteret nempe quod eſt mutatum, crudum concoquat, quò natura vergit, eò ſuperfluum ducat, & expellat, ſuppleat defectus eorum, quae deficiunt, vires conſervet, & inſtauret, omniumve tandem ſymtomatum vim infringat; nihilominus, ubi neceſſitas urgeat adjuvari non abs re erit omnibus illis praeſidiis ſive ab Hippocraticis, ſive a legitimis Galeni ſectatoribus ad haec uſque tempora adinventis. Atque haec profecto dicenda eſt methodus, quae apud expertiſſimos hujus Civitatis Medicos hac noſtra tempeſtate felici morborum ſucceſſu potiſſimum viget.

III.

16. I. Recenſitis omnibus tum antiquis, tum recentioribus acutos curandi methodis, examinandum nunc eſt, quaenam ex his pro aegrorum ſalute magis commendabilis ſit. Et quidem illud medendi genus ſemper apud omnes maximo in pretio fuit, quod Ci-

to

commoda; nam neque effundenda eſt liqueſcentis nivis aqua; effluit enim per caniſtrum, deinde nix non tam facile liqueſcit: poſtremum labrum replere non erit neceſſe, quoniam qualiſcunque fuerit in eo quantitas refrigerabitur. Iſte refrigerandi modus mihi videtur omnium optimus cum pauca nive alter cum lance etiam bonus eſt. Hactenus Monardes.

to, Tuto, & Jucunde ſanitati aegrotantes reſtitueret: quae omnia, ni fallor, noſtra methodus praeſtat. Et quod cito morbos curet, vel ex hoc facile poteſt cognoſci, quod hac medendi ratione, quatuordecim fere dierum ſpatio, juxta divini ſenis decretum (1), morbi judicantur, neque ullae aliae morbi reliquiae remaneant, quae alteri morbo occaſionem praebere poſſint. Cum contra ſatis conſtet, quod etſi pſeudogalenicorum methodo curati a mortis periculo ſaepe evaſiſſent, tanta tamen (praeſertim in autumno) virium imbecillitate afficiebantur, ut cum e lecto primùm ſurgerent, baculis innixi, multos per menſes, veluti parvuli, per civitatem titubarent, & non pauci, veluti claudi ſutores, ut Plauti utar phraſi, domi ſeſe continere cogerentur. Quae mala ex cibo fieri quotidianae obſervationes ſatis evincunt, & inſigne exemplum apud Hippocratem habemus (2): is enim poſtquam dixerat in illa conſtitutione Epidemica, quam deſcripſerat, quatuordecim ut plurimum diebus aegrotos judicari, tantum excepit eos qui *in cibis erraſſent*, quibus judicationes *decima ſeptima die* eveniebant. Nihil mirum igitur ſi criſes, dieſque critici tanta cum religione a Sapientiſſima antiquitate (3) adnotati, a pſeudogalenicis nunquam,

(1) Lib. 2. Aph. 23.
(2) Lib. 4. Epid. apud Valleſ. text. 40.
(3) *Diſputatum fuit ſaepius, an illa, quae de morborum criſibus tradiderunt veteres, ſic obſerventur revera obtinere in morbis, qui hoc tempore occurrunt. Sic Hollerius (comment. in Coac. Hippocrat. pag. 398.) dixit*: apud nos rarius incidere repentina illa, & perturbationis plena judicia, quas criſes proprie appellant; ſaepius autem exſolvi morbos alternantibus coctione, & excretionibus. *Illudque fieri credidit coeli noſtri natura, vita intemperante, vel etiam quia Medici, naturam, datis pharmacis, & ſecta vena ſaepius levant: atque etiam*

quam, vel ſaltem raro, & confuſe obſervarentur; itaut a quamplurimis medicis in ludibrium verterentur.

17 Cum igitur luce ipſa clarius innoteſcat, quod ex ciborum uſu conſuetae durationis limites morbi excedant, neque alia cauſa aſſignari poſſit, qua iidem protrahantur, clarius pro certo deducendum eſt, hanc methodum, quae inediam, & aquam commendat, ſummam in morborum curatione celeritatem praeſtare. Inedia namque, Fernelii ſunt verba (1), *corpus pervium, patenſque reddit, obſtructiones expedit, flatus, alvi faeces, urinas, cerebri, omniumque partium excrementa movet, & excludit. Atque ſi impurum corpus vitioſo humore perfunditur, cruditates concoquit, & emendat, tenues humores, & inutiles exhaurit, aut halitu diſſipat, craſſos vero cuique parti tenacius inhaerentes proritat, atque movet.* Et quod haec efficiat Inedia illuſtre experimentum habemus apud Rhedium(2). Is enim conſumtis fame animalibus, eorum viſcera pura reperit, atque omni labe exuta (3); itaut accuratiſſimus vir, nullum hoc efficacius remedium ad auferendas imi ventris praeſertim obſtructiones, unquam inveniri poſſe, dixerit. Demum quantum in diaeta lateat ad ſanitatem vel conſervandam, vel reſtituendam, vel inde perſpicere licet, quod ad legitimam ejus in morbis praeſcriptionem, praeter tot praecepta in ſuis operibus ſcripta, jurejurando nos obſtrin-

etiam quod ex noſtra conſuetudine plenius nutriantur aegri; quam ſolebat fieri apud Veteres. Van-ſvvieten ad §. 587.

(1) Patholog. lib. 1. cap. XIV.

(2) Experimenta de animalibus viventibus in viventib.

(3) Vide apud Vallisner. hac de re epiſtolam cujuſdam Equitis Melitenſis ſub 4. Septembr. 1724.

ſtringat Hippocrates. Quid dicam de Aqua? Haec, ut ſupra diximus, omnibus indicationibus ſatisfacit, alterat quod eſt mutatum, evacuat quod eſt inutile, & tandem ſupplet defectus eorum, quae deficiunt. Ut autem recte hujus remedii vires investigare poſſimus, quaedam veluti Poſtulata, ex Tractatu *de Aere Morbiſque ab Aere pendentibus* doctiſſimi Moſca mei Praeceptoris, eruta praemittenda eſſe cenſeo.

I.

Aerem ſolum in hac rerum Univerſitate corpus eſſe activum, quia prae ceteris omnes illas obtinet proprietates, quae ad agendum neceſſaria obſervantur, fluiditatem nempe, ſubtilitatem, mobilitatem, elaſticitatem, gravitatem, miram facilitatem se diffundendi per anguſtiſſimos corporum cujusvis texturae meatus, necnon facultatem quacumque atmoſphaera se veſtiendi; ceterave corpora vel paſſiva, vel activitatem ab aere mutuari. (1)

II.

Hujus principii agentis vim varie inflecti, ſive vexari per ſolidorum, quae permeat ſchematiſmum, ſive texturam variam; ac proinde varios effectus producere, prout variae ſunt partes quibus veſtitur, & armatur; nec non varias corporum, quas permeat texturas (2).

18. His poſitis, proclive eſt intelligere, quare Aqua, vel ut rectius dicam Aer particulis aqueis, ceteris liquidis fluxioribus imbutus, & veluti armatus, tot tantoſque effectus producere valeat. Nam ſi ejus proprietates ſpectemus, eſt nuntius, qui vias novit,

 iti-

(1) P. 1. Diſſert. II. num. 7. & ſequent.
(2) Ibid. num. 22. & ſequent.

itineri accinctus, carus intimis, & admiſſus in penetralia; uno verbo: ad morbos cito profligandos, an aqua inedia praeſtantior ſit, ignoro.

19 Quid dicam de noſtrae methodi ſecuritate? Credunt Medicorum quamplurimi non minus propter ciborum ſubtractionem, quam aquae copiam noſtram methodum periculoſiſſimam eſſe: quae male conceptae opiniones (ſic praejudicia appellamus) ſunt primùm auferendae. Et quod ad aquam ſpectat, advertendum hic eſt, minime infamanda eſſe ea praeſidia, quae multis fuere ſalutis, etſi ex praepoſtero ejus uſu peſſima ſymtomata ſuboriantur. Remedia enim quo potentiora ſunt, eo pernicioſiores producere effectus, niſi tempore opportuno (1), & debito uſu adminiſtrentur, neminem latere autumo. Quot homines quaeſo e medio ſubſtulit (ut cetera praetereamus) Mercurius, & Phlebotomia? Ergo a foro medico ſunt exturbanda? Minime vero. Exturbandi potius eſſent Pſeudomedici, (2) qui indiſcriminatim, & abſque neceſſariis cautionibus remedia praeſcribunt. Non aliter Aqua, *ut eſt auxilium optimum*, inquit Valleſius (3), *& jucundiſſimum ita etiam, & periculoſiſſimum, & maxime poſi-*

tum

(1) Huc illud Ovidii de Remed. Amor.

Temporis ars Medicina fere eſt; data tempore proſunt;
Et data non apto tempore, vina nocent.

Et Hipp. Epiſt. ad Cratevam ait: *temporum opportunitates curationum ſunt animae*.

(2) Non remediorum generalis cognitio, ſed recta eorum adminiſtratio, quae curationis anima eſt, facit Medicum. *Facile eſt enim*, ait Hippocrates (lib. de rat. vict. in acut. text. 10.) *ediſcere nomina, quae proferre ſolent apud aegros. Et omnia haec eadem remedia plebeis hominibus, & meliores, & deteriores medici dicere videntur*. Sed clarius Galenus in hujus textus comment. his verbis: *Bonos Medicos a malis diſtingui, quia tempore opportuno, & debito uſu praebent remedia*.

(3) Comment. ad Epid. Hipp. text. 133.

tum in occaſione. Non enim utcumque febris urat, & aegrotus ſitiat, ac multum ſibi poſſe bibere videatur, offerenda eſt frigida. Multis enim haec habentibus obla-ta, primum quidem juvare viſa eſt ob intemperiem, quam extinxit, deinde vero, ut denuo excitaretur alia febris, & major, & contumacior priori cauſa fuit: quod cum adhuc materia morbi eſſet cruda, oblata, ejus & con-coctionem, & diſcuſſionem prohibuerit: aliis etiam incurabiles paſſiones, & pro inflammationibus brevi re-ſolvendis indiſſolubiles tumores manere fecit. Alios una aliqua parte laeſos, reliquum vitae fecit miſere tranſigere: quoſdam etiam vita repente privavit, na-turali ſimul cum igneo calore extincto. En igitur mala, quae ex praepoſtero (1) aquae frigidae uſu ſubo-riuntur. Cum vero hoc tam praeſtans aquae reme-dium, exhibeatur iis, quibus pulſus debilis, mate-riae morbificae coctio, aquae naturalis difficilis tranſi-tus, coma, delirium, extremorum frigus, & hujuſ-modi alia ſymtomata appareant, & abſit quaepiam interna inflammatio, ac thoracis praecipua affectio, his, inquam, aqua frigida exhibita, tantum abeſt, ut noxas efficiat, quin potius mirabiles producat effectus. Hinc non ſine ratione dixit Valliſnerius (2): *verum autem eſt aquae adminiſtrationem maxima cum prudentia fa-ciendam eſſe: ego enim ſoli Nicolao Cyrillo in hac rerum anguſtia vitam meam committere haud dubitarem.*

20 Eſt & aliud non parvi momenti argumen-tum, quo evincitur aquae copiam, quae tot malorum

 in

(1) Legatur apud Valliſnerium doctiſſimi Joh. Baptiſtæ Verna Patricii Lancianenſis epiſtolam, ſub 12. Septembris 1725., in qua perbelle deſcribit cujuſdam Medici pernicio-ſiſſimam aquae frigidae methodum.

(2) De uſu, & abuſu Potuum &c.

in aquae frigidae methodo mater erat, nullam noxam in noſtra methodo afferre. Illi namque viis cibo indigeſto oppletis, indiſcriminatim in omnibus morbis, ac quocunque eorum tempore, magna copia, atque aquam frigidam tantum exhibebant: nos vero neque in omnibus febribus, neque in omni earum ſtatu, neque magna copia, neque frigidam tantum, ſed & calidam, & naturalem, ſive egelidam pro morbi ſymtomatumque natura, reſeratis prius inedia viis, illam commendamus.

21. Quoad alteram pertinet, aegrotantibus nempe propter inediam diuturnam mortis diſcrimen ingruere; ſi oſtendero morbo acuto affectos in ejus ſtatu novo alimento minime egere, ſpero fore bene, ut probaverim, nullam ex ciborum ſubtractione a noſtra methodo offenſam eos recepturos, adeoque eam tutiſſimam eſſe. Et quidem corpus ſanum maximam ciborum neceſſitatem quotidie habere ne pueros quidem ipſos latet. Cauſa in promtu eſt. Cum (1) *ſanitas ſit aptitudo in corpore ad exercendas actiones, & quum haec conſiſtat in determinata mobilitate partium tam firmarum, quam fluidarum, neceſſario haec ipſa, inquam, ſanitas, ſi ſemel ponitur perfecta deteret ex ſua natura partes firmas, conſumet fluidas* (2), *corrumpit utraſque, adeoque ſe ipſam deſtruit*. Apparet ergo, ut vitae, & viribus conſulatur, cibos, & potus exhibendos eſſe (3). At cum

(1) Boerhaavius ad §. 1019.

(2) *Pluribus unica die naturali per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu*. Sanctor. de Static. Medic. Sect. 1. Aph. LX.

(3) Quam ciborum neceſſitatem in corporibus ſanis his verſibus luculenter deſcripſit Lucretius lib. IV.

Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur,
Multa per os exhalantur, cum languida anhelant:
His igitur rebus rareſcit corpus, & omnis

Sub-

cum morbo acuto affecti in lecto jaceant; moeſti, & moroſi, nullimode ſe exercere valeant, cumque motus, & ſenſus externi, qui motibus ſenſibuſque internis reſpondent, his de cauſis ociantur, vel debiliter fiant; in morbi ſtatu, & tranſpirationem externam, ſive *Sanctorianam*, & internam, ſive *Hippocraticam* aboleri, vel ſaltem diminui, nullus ibit inficias. Cum igitur parum, vel nihil eorum, quae ad vitam ſunt neceſſaria, ex aegrorum corporibus, intermiſſis laboribus, diffluat(1), ad quid ciborum perditio? cum, Hippocrate docente (2), *contrarias inter ſe vires habent cibi, & labores, verum inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem: labores enim quae inſunt conſumere ſolent, cibi autem, & potus ea quae evacuata ſunt explent.* (3)

21. Hinc nunquam ſatis mirari potero, quare Van-ſvvieten ducto exemplo a ſanis, cibum aegrotis neceſſarium eſſe contendat. Hic enim in *comment.* ad *Boerh.aphor.*(4) relata Celſi opinione, triduanam inediam in morbis acutis praecipientis, *quia materiam ſuperantem minui oporteret, quae naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit*: haec ſubdit. *Sed novimus hodie etiam in ſaniſſimis hominibus, niſi cibo, & potu reſtituantur perdita, ſummam ſequi imbecillitatem, atque omnia in-*

Subruitur natura: dolor quam conſequitur rem;
Propterea capitur cibus, ut ſuffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atque patentem
Per membra, ac venas, ut amorem obturet edendi.

(1) V. Sanctor. Sect. V. & VII.

(2) Lib. de Diaeta §. 2.

(3) An autem haecce aegrorum ſalutaris atque tutiſſima inedia maximum Divinae providentiae munus ſit, quis hodie dixerit? Unde enim in morbi ſtatu victitandi eſſent mortalium quamplurimi, qui ephemeri laboris ſumtibus vivunt?

(4) *Ad* §. 599.

putredinem vergere , multo magis ergo hoc metuendum erit , dum per febrim augetur circulationis impetus , adeoque materia ſuperans non digereretur naturaliter, uti Celſus credidit , ſed corrumperetur potius ; mox concludit . *Apparet ergo , ut vitae , & viribus conſulitur, cibos , & potus exhibendos eſſe* . Quid dicam de hoc argumentandi genere ? Pace tanti viri hic manifeſtus eſt paralogiſmus ; nam ex praemiſſis non demoſtratis , iiſque falſis,illationes deducit . Primum enim ipſiſſimas ſanorum actiones in aegrotantibus etiam haberi demonſtrandum erat , (quod prorſus experientiae contrarium eſt); hinc optime inferre potuiſſet,iiſdem affectionibus aegrotos eſſe obnoxios , quibus ſani ex diutina inedia obnoxii ſunt . Humorum autem putredinem , quam ex adaucto circulationis impetu , & inedia oriri praefatus Auctor ſuſpicatur ab aqua auferri poſſe nullus dubitabit . Advertendum vero hic eſt Van-ſvvieten in aegrotis cibum laudare facile digerendum , putredini adverſum , ſiti contrarium , appetitioni citandae idoneum , & cauſae morbi cognitae oppoſitum , ptiſanam veluti , aut quid ſimile, quod cibi genus ego negare non auſim . Volui tamen ejus argumento obviam ire , ne pſeudogalenicorum plerique, tanto defenſi patrono panem , & carnem tuto aegrotis concedere ſe poſſe exiſtimarent .

23. Ex dictis cuique patet ratio, quare tamdiu inediam aegrotantes tuto ſubſtineant, contra eorum ſententiam exiſtimantium ipſam aquam in nutrimentum abire . (1) Aqua enim licet neceſſaria ſit ad corrigendos humores , eoſque concoquendos , aut evacuandos, tamen ad reſtaurandum , quod per vim vitae difflatur, eam

(1) V. Lanzanum in Aquae frigidae methodo P. II. cap. XX. nec non Conte in principio ſui tractatus .

eam ex ſe inutilem eſſe judicamus (1).

24. Utantur igitur tuto Medici noſtra methodo; neque timeant quin fame aegrotantes pereant; nam hominem ſanum, cui organa digeſtioni dicata, integra ſunt, & valida, & ſtomachus ſaepe latrat, abſque cibo ad ſeptimum (2) uſque diem tranſigere Hippocrates, & Ariſtoteles teſtantur. Quid dicam de aegrotantibus, quibus organa omnia, praeſertim in imo ventre contenta infirma, & labefactata ſunt, atque aqua repleta?

25 Neque quiſpiam deterreatur, ſi morbi decurſu ſumma aegrotantibus debilitas (3) ſuboriatur, nam ut-

(1) . . . *Neque enim aqua nutrit; neque homo aqua vitam poteſt ſubſtinere, ſed cito deficeret. Exempla ſunt captivorum, qui viginti diebus famen toleraverunt, cum aqua abunde ſuppeditaretur, perituri die nono ſi abſque aqua fuiſſent. Neque aqua tamen nutrit. Differt autem ab aqua liquor nutritius quod ex ſero ſanguinis generetur, cujus proprietas huic ſoli inter humores corporis humani unice conceſſa eſt, eſſe in igne coagulabilem*. Haller tit. Nutritio &c. ad 452.

(2) *Quamdiu autem ſuperſtite vita fames tolerari poſſit, nondum adeo certo definiri poteſt. Hippocrates dixerat (de carnibus):* ſi quis velit ſeptem diebus nihil comedere, vel bibere plurimi in his (diebus) moriuntur: quod ſi qui illos ſuperaverint, tamen moriuntur, licet poſtea comedere, & bibere perſuadeantur. *Ex ducentis tamen, & ſeptuaginta ſex hominibus, qui naufrafragii metu quatuordecim dierum ſpatio nihil cibi ſumpſerant nullum periiſſe legitur in ſacris litteris (Acta Apoſtol.) Mulier Britanna, ſub cuſtode perpetuo, mandato Henrici octavi Britaniae regis per integrum annum ſine cibo potuque; ſolo odore vixit; (Joh. Cajus de Ephem. Brittan. pag.* 131. *) uti & Scotus quidam per aliquot menſes. Plura ſimilia apud Schenchium, alioſque obſervatores habentur*. Van-ſvvieten ad text. 586. V. Stephani Roderici Caſtrenſis Luſitani tractatum de Aſitia, in quo brevi ſtylo complures diuturnae aſitiae (inediae) cauſas recenſet, reiicitque.

(3) *Neque enim harum rerum video experios eſſe Medicos, ut opor-*

utplurimum haud inediae effectus eſt, ſed materiae morbificae. Pluries enim obſervatū eſt, nonnullos aegrotos quarta, vel quinta a morbo die, tanta virium debilitate prehenſos, ut vix, ac ne vix quidem vel verbum proferre poſſent. Sed o mirum! poſt aliquot dies, nondum vel minimo cibi refecti, debellato morbo, alacres e lecto ſurrexerunt.

25. Sed concedamus quaeſo pſeudogalenicis debilitatem in aegrotis non raro ex inedia proficiſci, adeoque cibis eos reficiendos eſſe. Quid? reficientur aegroti? Nequaquam (1). *Cibi enim non nutriunt, neque vires reficere valent, niſi prius vaſorum, & viſcerum efficacia, ac ſanorum humorum copioſa admixtione in noſtram naturam mutati fuerint*. Verum ad hanc ingeſtorum mutationem actionum omnium integritas requiritur, ut perfectiſſima ſit, quam in aegrotis deficere neminem latere autumo. Debilitatis igitur imi ventris viſceribus, corruptiſque humoribus cibus ingeſtus putreſcat, neceſſe eſt, ſicque cauſam morbi foveat, augeat ejuſque ſymtomata excitet, adeoque vires, cibis, non reficiuntur, ſed magis opprimuntur. Jure igitur meritò dicebat Helmontius (2): *Neminem*

oporteat dignoſcere debilitates in morbis, quaecunque ob vaſorum inanitionem perficiuntur, & quaecunque ob aliam aliquam irritationem, & quaecunque ob dolorem, & a morbi acutie, & quaſcunque paſſiones, & ſpecies omnigenas noſtra natura, & habitus parit quibuſcunque. Atqui ſalutem, aut mortem afferunt cognita, aut ignorata haec. Majus enim malum eſt, ſi ob dolorem, aut acutien morbi debilitato afferat quis potus, aut ſorbitionis plus, aut cibi, putans ob vaſorum inanitionem debilitatum eſſe &c. Hipp. de ration. vict. in morb. acut. lib. 2. Quatuor igitur cauſas eſſe dicit debilitatis in morbis acutis, vaſorum inanitionem, & aliquam aliam irritationem, & doloris vehementiam, & morbi acutiem.

(1) Van-Svvieten ad §. 600.

(2) Tit. Victus ratio.

minem quoque urgeo, juſculis conſummatis, colliſiis, ovis &c. ſi acuta febris adſit, memor praecepti illius: corpora impura, quo plus nutris, eo magis laedis. *Nam etſi in acutis abſque cibo, ſoloque vivatur potu, non tamen exindè vitae diſcrimen ingruit; imo ſic citius convaleſcunt, multoque minori obſtaculo, vires, & appetitus reſurgunt. Quoties nimirum putrefactibile, ſive cadaverizabile in ſtomachum ingeritur carentem ſuo fermento digeſtivo: putrefit digeſtum, & non digeritur. Atque iſta eſt illius aphoriſmi juſta explicatio*. Mox ſubdit. *nunquam enim optavi, ut ex acutis morbis aegri redirent pingues, aut ſaginati, at bene iſtud unicum intendebam, ſcilicet, ut convaleſcerent, & quidem non multum viribus detruncati*. Hactenus Helmontius.

26 Neque recte dicitur hoc intelligendum eſſe de cibis digeſtioni minus aptis, non autem de illis facillimae concoctionis, uti ſunt juſcula, conſummata, panis decoctio, ova ſorbilia, & hujuſmodi alia. Nam haec quoque, me judice, ab aegrotantibus haud concoqui poſſunt. Etenim quid lacte concoctioni magis aptius, utpote illud quod a tenerrimo infante unius diei aetatis, facillime digeritur? attamen cum idem agrotantium juvenum ventriculo ingeritur, aceſcit, corrumpitur.

27. Opponi illud nobis merito poteſt methodum hanc ſervari tuto in morbis a repletione ortis, non autem in illis, qui ab inanitione proficiſcuntur. Ut huic ſatisfaciam, ſciendum eſt, hos morbos vel a turgeſcente materia, vel a pravis corruptiſque humoribus originem ducere. In utroque caſu quaenam methodus aptior, & magis tuta inedia, & aqua? nam cum a prima cauſa oriuntur, inedia non ſolum concoquitur ſuperfluum, verum etiam cavetur, ne quid novi cruditatibus accedat; cum vero a corruptis humoribus, his di-

lutis

lutis, & correctis ab aqua, morbus ceſſare neceſſario debet; adeoque debilitas, vel mors quae ab inanitione diutina ſuſpicatur, evaneſcit.

29. Secundo illud Hippocratis (1) noſtram methodum damnare videtur. *In tenui (2) victu aegri delinquunt, quo fit ut magis laedantur: quicunque enim error committitur, major in hoc fit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam ſanis valde periculoſus exiſtit, valde tenuis, & conſtitutus, & exquiſitus*

ſitus

(1) Sect. 1. Aph. 5.

(2) *Hippocrates tria genera ciborum nobis propoſuit in aphor. & in lib. de v. r. in acut.: unum appellavit victum plenum, alterum tenuem, tertium victum tenuiſſimum. In aliis comm. Hippocr. invenio haec tria genera propoſita eſſe diverſis nominibus. Nam quod appellat in aph. victum plenum vocat in aliis* Sition *ſive cibum, quod vocat alimentum tenue, alibi nominat ſorbitionem, & quod vocat victum tenuiſſimum appellat* poma, *ſive potum. Sectator Hippocratis Cornel. Celſ. lib. 2. cap. 18. tria & ipſe ciborum genera proponit. Quod vocat Hippocrates plenum appellat Celſus valentem materiam: quod dicit Hipp. tenue Celſus vocat mediam materiam, & quod Hipp. eſt tenuiſſimum a Celſo dicitur imbecilla materia. Avicenna quoque noſter ſectatus veteres tria & ipſe facit genera ciborum: unum vocat groſſum, ſive craſſum, alterum vocat multum ſubtile, tertium vocat medium, adeout ſi haec omnia ſimul conferantur, in unum conveniſſe omnes videantur, ut fecerint eadem genera ciborum .... Cibus plenus, ut cum Hipp. loquamur eſt panis, ova, & caro. Victus tenuiſſimus ſive imbecillis, aut multum ſubtilis eſt vel nihil dare, vel ſolam aquam adminiſtrare. Medium genus duplex eſt, aliud quod proximum eſt tenuiſſimo, hujuſmodi eſt melicratum, cremor ptiſanae, panis lotus. Aliud quod proximum pleno eſt, veluti caro extremorum gallinae, caro avicularum, atque ejuſmodi alia. Cibus tenuiſſimus qui eſt vel nihil dare, vel aqua ſolum dare, erat quidem veteribus in uſu, veruntamen tempore noſtro penitus deſuevit; adeout ſi quiſpiam Medicus reperiatur, qui velit detinere aegros abſque cibo, vel una die trucidator ſtatim vocetur.* Hieronym. Mercurial. Tractat. de febrib. lib. 5.

ſitus cibus , quoniam errores gravius ferunt , ob hoc igitur tenuis victus , atque admodum exquiſitus , eo qui paulò plenior ſit magis periculoſus . Hactenus Hippocrates . Haec quidem ſententia non damnat cibum tenuem , vel tenuiſſimum , ſed cavere jubet, ne illi qui (morbi natura ſic jubente) victu tenui utuntur , errores circa res alias committant ; nam iſti , non aliter ac ſani , ob imbecillitatem a victu tenui , & morbo contractam non poterunt ferre damna , quae ex quocunque errore , & praeſertim a cibo proveniunt . Etenim ridicula ſane ars noſtra eſſet,ſi nobis abſtinendum foret ab omnibus illis medicinae praeſidiis , in quorum uſu aegroti peccare poſſunt. Ableganda eſſet inter cetera phlebotomia , ne illi quibus vena ſecatur , abſente Phlebotomo , faſciam tollant , ſicque cum ſanguine animam fundant . At huic objectioni ſic reſpondiſſe ſat eſt .

30 Perpenſa noſtrae methodi ſecuritate , quam periculoſiſſima fuerit Pſeudogalenicorum methodus , obiter expendamus . Et quidem, ut omittamus febrium vehementiſſimos illos paroxiſmos , quibus , jam jam aegrotantes mortis limina ingredi videbantur ; illud tantum ante oculos ponam . Parotis (ſymtoma omnium infeſtiſſimum) quae ſatis familiaris aegrotantibus , qui pſeudogalenicorum methodo tractabantur , impendebat,in iis,qui noſtra curantur; raro obſervatur . Quae mala ex cibo fieri quotidiana obſervata ſatis evincunt , & inſigne exemplum apud Hippocratem habemus: poſtquam enim dixerat in illa conſtitutione Epidemica , quam deſcripſerat , maximè ſervari illos , quibus per nares probè ſanguis profluxit , aut quibus urinae copioſè multum , ac laudabile ſedimentum habebant,vel per alvum turbulenta blioſa prodierant, aut dyſenterici facti fuerant ; addidiſſetque mulieres ,

aut

aut virgines; quibus ex his aliquod probe ſuccederet; omnes ſervatas fuiſſe, & judicatas, unicam excepit, *Philonis filiam*, cui licet ſanguis liberaliter de naribus fluxiſſet, *periit*, quia ſeptima die *intempeſtivè coenaſſet*. (1)

30 Et quidem quam infirmae naturae cibus ſit hoſtilis, vel ex eo poteſt perſpici, quod qui noſtram methodum ſequuntur, ſi vel minimum cibi furtim ſumant, ſtatim morbo cum ſymtomatibus ingraveſcente, ipſis invitis, Medicus peccati certior fiat. Hinc ſolertiores Medici occaſionem ſumſere cibum concedendi in febribus parvis, quas ex Celſo, (2) ut curationi opportuniores fiant, augere licet (3). At proh Deus!

(1) Epid. 1.
(2) Lib. 3. cap. 9.
(3) *Non ergo ſemper pernicioſa febris eſt, errantque illi, qui hanc ubique omni artis molimine debellandam credunt, cum ſaepe Natura per febrim vincat tales morbos, qui ad optima quaevis remedia rebelles manent, Merito ergo Sydenhamius* (*ſect.* 1. *cap.* 4.) *qui naturae morbos ſanantis veſtigia, tam feliciter obſervavit, Febrim vocavit naturae inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernat: dixitque alibi in initio ejuſdem capitis, a natura illam concitari, ut heterogenea materia ipſi inimica ſecernatur, vel ut ſanguis in novam aliquam diatheſim immutetur. Prioris effectus febris exemplum petebat ab illo genere febrium, quae eruptionibus ſtipantur ut in variolis morbillis &c. fit; poſteriorem vero demonſtrabat inde quod homines inſignem mutationem paſſi in uſu rerum nonnaturalium* (*ut vocant*) *febre corripiantur, per quam dein apti evadunt tolerare illa quae antea abſque ſanitatis detrimento ferre non poterant. Frequens enim obſervatio docuit illos qui longa itinera emenſi in diſſitis regionibus vivunt, plerumque febre corripi, quamvis ante ſaniſſimi fuerint & per hanc ſic mutari illorum corpora ut aerem, & victum illius loci poſtea facile ferant. Minime ideo ſollicitus fuit Sydenhamius (ibidem) ut febrim tolleret; ſed ſedulo attendebat, an excitatus per febrim motus tantus eſſet quem pericloſa*

Syn-

Deus ! Quod pſeudogalenici ad aegrotantium imbecillitatem auferendam, concedebant, noſtrates ad febres augendas praeſcribunt. Sed de his ſatis.

31 Ad noſtrae methodi jucunditatem tandem accedamus. Jucundiſſima aegrotantibus prae ceteris eſt noſtra methodus, cum nihil iis praeſcribatur, quod naturae vocibus non reſpondeat: ſubtrahimus enim cibum tam naturae hoſtilem, aquam libenter concedimus, qua nil febricitantibus inveniri poteſt jucundius. At o facinus! In pſeudogalenicorum methodo, premente ſiti, vel minimum aquae febri correptos ſumere piaculum erat, inviti cibum capere cogebantur. Et quod haec noſtra genuina naturae methodus ſit, vel ex hoc poteſt perſpici, quod omnes in morbi ſtatu cibum reſpuunt: id non homines tantum natu grandiores, atque fortaſſis experientia, rationeque praediti, obſervant, ſed ipſi quoque infantuli, quin, & bruta etiam animantia naturae documentum eſſe teſtantur, cum omnia in morborum principiis a cibo abhorreant; progreſſu vero temporis, ad coctionem vergente morbo, conſumtiſque jam ventriculi

ſymtomata ſolebant ſequi; vel contra ſic langueret, ut ſeparatio morboſi a ſanis, aut ejuſdem ſubactio, vel mutatio humorum in novam indolem per hunc motum obtineri non poſſent. Hoc autem cognito compeſcebat idonea medela febrilem motum, ſi nimius erat; vel excitabat languentem: ubi vero debitos intra limites manebat febris ſpectatorem agebat, nihil omnino mutans, ſed bono victu vires tantum ſuſtinens expectabat eventum quem artis uſu ſalutarem fore noverat. Ex quibus ergo patet non tantum requiri aliquando in morborum curationibus, ut ſibi relinquatur febris, ſed & quandoque ex artis praecepto febrim augendam eſſe. Pulchrum habetur, quod hanc rem confirmat in Coacis praenotionibus effatum (num. 358.) Convulſionem ſolvit febris acuta ſuperveniens, quae prius non fuit, ſi vero fuit prius, jam exacerbata. Van-Swieten ad §. 558.

culi cruditatibus, paullatim ad cibaria convertantur ?

33. Neque me latet ſummam jucunditatem, quam in primis morbi diebus, ex aqua aegrotantes capiunt, mox in maximam nauſeam verti, & inediam aegre ferre; tamen ea quam cibus, nec non calices illi amari, & nauſeabundi ſpecioſo antifebrilium titulo inſigniti, in pſeudogalenicorum methodo afferebant, hanc minorem fore exiſtimo.

34. Cum itaque noſtra methodus omnium ſit citiſſima, tutiſſima, & jucundiſſima, hanc ab omnibus medicis in morborum acutorum curatione ſervandam eſſe cenſeo. At poteſt ne ubique locorum haec methodus tuto ſervari ? Hoc probandum ſupereſt. IV.

34. Multae ſubortae ſunt exteris nationibus difficultates, ob quas noſtra methodus illis ſuſpecta videtur, quarum aliae longam inediam, aliae difficilem aquae tranſitum reſpiciunt: quae exterorum difficultates ad tres, me judice, reduci poſſunt, vel ad hominum temperiem, vel ad climatum conditionem, vel tandem ad aquarum indolem. Objectiones has Valliſnerius de aqua frigida agens (1) ſibimetipſi propoſuit, cujus verba in hunc modum concepta ſunt. *An haec methodus tam laudabiles, & frequentes effectus ſub omni Coelo, & noſtris temperamentis* (Patavii ſcribebat) *minus igneis Hiſpanorum, Neapolitanorum, & Melitenſium, & ubi aquae puriſſimae, et omni labe exutae non ſunt, efficere poſſit, prorſus ignoro.* Quas omnes difficultates nil ad hanc methodum excludendam valituras, quam breviter demonſtrabo.

35 Exordiamur a temperamentis. Ad temperamenta pertinet aetas, habitus, ſexus, ſtudium vitae, & conſuetudo. Ex his, conſuetudinem maximè in

(1) Laudato Tractatu de uſu, & abuſu potuum &c.

in cibandis aegrotis perpendendam eſſe omnes affirmant. Audiamus hac de re Ingraſſiam (1). *Conſuetudo*, inquit, *per se notam quoque indicationem praebet, cum altera haec natura ſit* (uti Galenus ait)(2) *acquiſititia. Quis ergo neſcit plus alimenti offerendum Heluonibus, ac Sardanapalis, quam ſobriis, delicatiſque, ac philoſophis? Sic etiam humidos, liquidoſve, aut ſolidos, frigidoſque, aut calidos, his, vel illis, qui tali victu uti conſueverunt, quis permittendum ambigeret? Quis etiam noſtra tempeſtate Germanis, non cibis modo, ſed potibus quoque multis, ac variis, ſeſe infarcire conſuetis, ita victum, ut his panis in aegritudine, Tyrannorum ritu, attenuaret?* At pace tanti viri conſuetudo non habet tantum ponderis in curandis morbis; imò in morborum curatione praeſcribimus ea, quae in ſanitatis ſtatu exhibere ſtultitia eſſet. Etenim cum morbus ſit ſtatus praeternaturalis, juvant omnia ea, quae etiam praeter naturam ſunt, & inſueta; conſueta autem vel nocent, vel ſaltem non proſunt.

37. Verum fruſtranea eſt ratio, ubi experientia loquitur; ad experientiam igitur tanquam ad tribunal veritatis confugiamus. Noſtram methodum hic Neapoli Gallis, Hiſpanis, Anglis, Batavis, Germanis, Armenis, aliarum regionum ceteriſque, hac in celeberrima urbe commorantibus, omnibus felici cum ſucceſſu, in morborum acutorum curatione ſervatam fuiſſe, & adhuc maxime ſervari, Medici fide digni teſtantur. Quid ergo ambigendum circa hominum conſuetudinem, vel temperamenta?

38. Idem dicendum de aetate, habitu, ſexu, & vitae

(1) In quaeſt. Utrum victus a principio ad ſtatum uſque procedere debet ſubtiliando: an (ut multi perpetuo obſervant) potius ingroſſando. Cap. 3.

(2) 2. de Temperam.

vitae ſtudio. Cum pariter experientia ipſa ſatis conſtet, non minus pueros, quam juvenes, & ſenes, firma, vel debili fibra praeditos, viros, & mulieres, ſive gravidae ſint, ſive lactantes, philoſophum, & bubulcum, omnes denique tuto noſtra methodo curari. Neque illud obſtabit, quod pauciſſimi laudatos a noſtra methodo effectus non obtineant. Huc apprime quadrat illud Celſi (1). *Si quid vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat....ſed eſt tamen Medicinae fides, quae multo ſaepius, perque multo plures aegros prodeſt.*

39. Videamus modo, an climatum indoles noſtrae methodo quidquam obſtare valeat. Et primo expendamus, quaenam ſint ſaluberrimi aeris propriae notae. Doctiſſimus Moſca in laudato Tractatu (2) hanc boni aeris definitionem affert. *Aer bonus*, inquit, *eſt ille qui in omnibus ejus praerogativis, vel a proprietatibus eſſentialibus, vel a cauſis permanentibus, accidentalibus, & occultis productis neque excedens, neque deficiens eſt, atque majorem incolarum partem incolumem ad ſenium uſque perducit*. Ex deſcripta boni aeris natura, cuique patet duobus modis illum depravari poſſe: primo nempe, cum ejus praerogativae nimis activae, ſecundo cum nimis inertes quacunque de cauſa evadant; utrumque noſtrae methodo obſtare quamplurimi, tum ex antiquis, tum ex recentioribus, medici exiſtimant. Ex antiquis Celſus aerem nimis activum noſtram methodum excludere, affirmat his verbis (3). *Plerique ex antiquis tarde dabant* (cibum) *ſaepe quinto die, ſaepe ſexto, & id fortaſſe vel in Aſia, vel in Ægypto*

Coeli

(1) Lib. 2. cap. 6.
(2) P. 1. Diſſert. 4. num. 171.
(3) Lib. 3. cap. 4.

Coeli ratio patitur. Contra vero poſt aliqua de Africa ſubdit dicens: *In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus eſt; itemque eo Coelo, quo magis digerit; ob quam cauſam in Africa nullo die aeger abſtineri recte videtur*. Ratio in promtu eſt. Aer enim nimis activus omnes evacuationes ſuis proprietatibus adaugens nimiam humorum deperditionem parit; hinc debilitas, & niſi cibis reficerentur aegroti, ab inedia animi deliquium, & mors ipſa ſequeretur. Inter recentiores Portius, in aere nimis inerti noſtram methodum minime adminiſtrari poſſe cenſet, cujus verba haec ſunt (1). *Nam mihi perſuaſum eſt, modo aquae bonae ſint, ut plurimum eas regiones, & eas coeli conſtitutiones minus commode ferre largiores aquae potus, in quibus Aer multum aquae permixtum habeat*: hoc forſan argumento ductus, quia Aer nimis iners omnes evacuationes retardat, hinc difficilis aquae tranſitus, ceteraque ſymtomata, quae ex difficili aquae tranſitu, ut cauſa, oriuntur. Quapropter ſi haec vera ſunt, nullibi terrarum noſtram methodum adminiſtrandam eſſe opinor: cum mihi perſuaſum ſit, nullibi terrarum inveniri aerem deſcriptis praerogativis, deſcriptaque harmonia praeditum: talem fuiſſe aerem Paradiſi terreſtris (ut laudatus Auctor animadvertit) ante Adae peccatum tantum credibile eſt.

40. Verum enim vero, quam horum auctorum opiniones obſervationi, & experientiae prorſus contrariae ſint, brevi demonſtrabo. Et ut eademmet experientia, & obſervatione pugnemus. Accipe. Quamvis generaliter hujus Civitatis aer commendabilis ſit, tamen juxta regionum ejus diverſitatem, maxime eum diverſum eſſe, alibi nempe (2) activitatis, & alibi inertiae limites

 mites

(1) De milit. in caſtr. ſanitat. tuend. cap. 7.
(2) V. P. 1. Differt. V. num. 5.

mites excedere ; modo laudatus Moſca demonſtravit . Hoc non obſtante quotidie obſervamus, eodem cum ſucceſſu , noſtra methodo , a morbis acutis liberari , tum aegros prope hortos (*vulgo le palude*) , ubi aer praeter modum iners eſt , inhabitantes, tum illos, qui illam hujus Civitatis regionem incolunt , quae (*montagnola*) appellatur ; ubi maxime activus obſervatur . Praeterquamquod non deſunt mihi ſummorum virorum auctoritates,quibus evinci poteſt,noſtram methodum eodem ſucceſſu, quo hic Neapoli , in quamplurimis regionibus ſub diverſiſſimis climatibus ſitis , in morbis acutis adhibitam eſſe , & forſitan adhuc adhiberi . Et primo apud Indos febricitantes decem , vel quindecim diebus ab omni cibo abſtinere,Carolus Cluſius (1) teſtatur . Mauros , morbos acutos jeiunio, frictionibus , unctionibuſque curare, Thomas Campanella (2) perhibet . Sinenſes in acutis, omni ſubtracto cibo, ad ſeptem , quatuordecim , imo ad viginti uſque dies ſola aqua curari , Pater Bartholi (3) eſt teſtis . Idem de Ægyptiis narrat Proſper Alpinus (4) . Sed quorſum in re manifeſta laboro? Quis enim neſcit Indos , Mauros , Sinenſes , Ægyptioſque ſub diverſis , imo oppoſitis inter se climatibus poſitos eſſe ? Tandem , ſi verum eſt idem efficere climatis mutationem (ut Van-ſvvieten (5) de aegrotantium victu ait) quod anni temporum varietas praeſtat in eodem loco manentibus ; concludendum in omni regione tuto adminiſtrari poſſe hanc methodum , cum quacunque anni tempeſtate tuto hic Neapoli haec adminiſtretur.

Nul-

(1) Lib. de Plant. Indic. cap. 21.
(2) V. Leonard.de Capua de Orig.& progreſs.medic.&c.Orat.VI.
(3) P. 3. Aſiae , & Sinar. lib. 1.
(4) De Medicin. AEgyptiorum lib. IV. cap. XV.
(5) Ad §. 602.

Nullum itaque incommodum, cujuſque naturae ſit aer (peſtifero excepto), aegrotis, maximeque nationalibus, qui domi se se continere coguntur, afferre poteſt.

41 At concedamus quaeſo, aerem & inertem, & activum aegrotis, qui noſtra methodo tractantur, quid detrimenti afferre. Quid? Nonne arte ita fieri poteſt, ut aer certis finibus contineatur, quos neque ultra, neque citra pertranſeat? Et primo quis vetat, quin nimiam aeris activitatem compeſcamus, domum aſſidue aqua frigida aſpergendo: roſis plurimis humi fuſis, aut vitium capreolis, aut ruborum ſummitatibus, aut lentiſci ramis, ceteriſque ſtirpibus refrigerantibus? Inſuper pluries in die apertis feneſtris renovando aerem loci, in quo decumbit aeger, & prohibendo turbam hominum? His enim artificiis aeris activitas proculdubio alteratur (1): atque contrariis induſtriis ejus inertiam alterare poſſumus. *Omnium autem certiſſimum ad hanc, medium eſt ignis*, inquit Van-ſvvieten (2), *& imprimis ſi focus inſtruatur lignis aromaticis, & reſinoſis, uti ſunt guajacum, maſtichinum, juniperinum, cedrinum &c. . . . Cum autem pretioſiora haec ligna ſint, quiſquiliae, & ramenta ab operibus relicta his uſibus ſervire poſſunt. Interim tamen, vel ſolum lignum quercinum, quod vili ſatis pretio comparari poteſt, huic indicationi ſatisfacere poſſet... Ad hos uſus accenſi thuris, maſtiches, olibani &c. thymiama adhiberi ſolet, vel fragrantiſſimis aromatibus in pulverem redactis ſpargitur locus*. Haec Van-ſvvieten. His, ceteriſq; artificiis non modo inertiam, verum etiam nimiam aeris activitatem emendare poſſumus. Demum etiamſi aeris vitia corrigi nullo pacto poſſint, ſymtoma-

 ta

(1) V. Galen. Method. medend. lib. X. cap. 8.
(2) Ad §. 605.

ta tamen, quae vel a nimia inertia, vel a nimia ejus proprietatum jam deſcriptarum (quod numquam concedam) activitate proficiſcuntur cavere aliis artificiis quis vetat? Ubi enim aqua difficulter tranſit diureticis, ceteriſque cautionibus praeſcriptis adjuvanda; & ubi major tranſpiratio fuerit, plus aquae dandum eſt. Patet itaque nullo pacto aeris diverſitatem excludere poſſe noſtram methodum.

42. Poſtremo quid de pravis quampluriimarum Regionum aquis dicam? Hoc tantum exteris ſupereſt ad excludendam noſtram methodum. Etenim cum aqua, quae aegrotantium (1) uſui deſervit aliquod vitium habeat, inter cetera ſymtomata, quae producit, eſt difficilis aquae tranſitus; atque en maximum noſtrae methodi contraindicans. Quid? Nonne arte omnia aquarum vitia emendare poſſumus? Concinne ſatis Galenus (2) reſpondet: *Quemadmodum legumina multa praeelixantes idonea eſui praeparamus, & olera, & fructus, & animalium partes, eadem ratione, & aquam prius decoctione ad meliorem naturam permutamus, ita propinare*. Et celeberrimus Portius (3), recenſito quodam purgandi aquas artificio, ſic concludit. *Quibus ſic expoſitis, ſi detur mihi fundus, nemus, rus, vel quid ſimile prope Danubium, vel aliud fluvium, vel prope paludes aliquas, animus mihi eſt ex impuris aquis*

(1) *Quiſquis ſanus eſt, & valet; is nullum diſcrimen faciat; ſed ſemper eam, quae praeſens eſt, bibat. Quicunque vero, morbi gratia, eam quae commodiſſima eſt bibere volet, is ſi ita fecerit, maxime ſanitatem aſſequi poterit.* Hippocr. de Aer. Aq. & Loc. cap. 3. Huic ſuffragatur Celſus his verbis: *ſanus homo, qui & bene valet, & ſuae ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque jatroalipta egere*. Lib. 1. cap. 1.

(2) In comment. lib. VI. Epid. Hipp.

(3) De Milit. in caſtr. ſanit. tuend. cap. 7.

aquis fontes mihi parare aquarum puriorum . *Item ſi detur mihi fundus cum puteo , cujus aquae ſint coenoſae , & inſalubres , animus mihi eſt his aquis puteum mihi facere aquarum ſalubriorum* . Adſunt ergo aliqua artificia, quibus aquae pravae , ſalutares confici poſſunt . Verum primo videamus, quaenam dicendae ſint aquae pravae.

43. Aquarum vitia trium ſenſuum judicio exploranda proponit Galenus(1),ubi abſtinendum ſuadet ab iis,quae viſui turbidae apparent , quae maleolentes olfactum laedunt , & quae ſalſae guſtui minus placent , denique in quibus qualitas aliqua guſtu adnotari poteſt , ut adſtrictio , acerbitas , aciditas , acrimonia , amaritudo , dulcedo &c.

44. 1. His poſitis,recenſeamus modo quot, & quaenam ſint induſtriae , & artificia , quae hujuſmodi aquarum vitia emendare valent.Haec ad tria reducenda cenſeo, ad Coctionem ſcilicet, Filtrationem, & Mixturam . Omnium autem certiſſimum ad aquas pravas depurandas artificium , omnium antiquorum conſenſu, *Coctio* eſt . Hac induſtria corriguntur prae ceteris aquae paluſtres , limoſae , lutulentae , vel graveolentes . Item illae aquae , quae nec ſapore , nec odore diſplicent , & oculis ſeſe offerunt gratiſſimae ; ſed in ſtomacho diu commorantur , aut inflare hypochondria valeant; uti ſunt eae, quae ex aere , ut ita dicam, corrupto , vel ab aliqua ignota cauſa vitium contraxerint . Demum quae crudae appellantur coctione corrigi poſſunt . Tribus his aquarum vitioſarum generibus coctionem conferre obſervamus . Coctio autem fieri debet ad ignem lentum ſine fumo , vaſe detecto , ut vapor , & quicquid ab ea diſſolutum fertur, expiret , neque in eam devolvatur .

C 4 Nec

(1) Lib. 1. de ſanit. tuend. , & lib. 1.de ſimpl.facult.cap.5.

45. Adſunt nonnulli (1) qui hocce aquas purificandi artificium damnant : hac forſan opinione ducti, quod aquarum coctione partes ſubtiliores evolent, craſſiores, & magis faeculentae remaneant. At, me judice, & experientia teſte, hi decipiuntur. Nam ignis efficacia partes quoque craſſas, & faeculentas concoquit, partes autem ſubtiliores, quas deperdit certo certius ſtatim reſarciuntur.

46. II. Alterum ad aquas purificandas inſtrumentum *Filtratio* eſt (2) : fitque cum impura aqua pluries ex uno in aliud vas percolatur (3). Limoſam, ſalſam, bituminoſam hoc artificio purgari ſcribit Ægyneta (3), maximeque, ſi per arenas dulces

(1) Inter recentiores Portius haec habet de aquarum coctione : *Nunquam mihi placuit nonnullorum diligentia, qui aquas decoquunt, ut mala avertantur, quae fiunt ab aqua, qua ratione frequentiſſime aquas bonas faciunt malas.* Laudat. Tractat. P. 2. cap. 7.

(2) Hoc artificium purgandi aquas, antiquiſſimum eſt, cum Galenus haec ſcripta reliquerit. *Eſt porro etiam aqua limoſa quadantenus compoſita, velut eſt aqua Nili, quae in AEgypto eſt, ſed ea per fictilia vaſa percolata plane pura efficitur. Oportet autem non ſemel, ſed bis, & ter percolare, quoniam ne ſic quidem forſan adamuſſim puram queas efficere, verum qui aquae infertur limus omnem effugerit ſenſum, ſatis tunc eſt, ut queas dicere tales, ut ad uſus ſynceras eſſe, aquas.* Lib. 1. de ſimplic. medic. facult. cap. 4.

(3) Lib. 1. cap. 50.

(4) Hujus artificii tanti fecit Laurent. Joubertus, ut ad aquas praeſertim puteanas ſalubriores reddendas, id maxime opportunum exiſtimaverit, cujus verba haec ſunt : *Ut ſalubrior ſit puteana, aquam frequenter hauriri jubemus, quod ex perturbatione, agitatione, & quadam attritione melior evadat. Unde fit, ut publica ſaepius ſit privata longe ſalubrior : quia hauſtu crebro magis exercetur, quod maxime probabilem reddit, ut Plinius lib. 31. cap. 3., docet. Proinde ii non ſapiunt, qui gravate vicinis, ſui putei uſum concedunt. Nam in Monachorum*

ces (1),ideſt inſipidi ſoli percolatio fiat. Sumatur itaque vas fictile, in cujus fundo quamplurima ſint foramina: duriorum lapidum ſabulo ad medietatem uſque impleatur; atque per haec ſabula pluries aqua impura pertranſeat. Quod aquas purgandi artificium, omnium optimum mihi videtur, quia ex tempore, & facile parari poteſt. Ad hunc uſum machinam valde artificioſam Portius (2) paravit. Hujus induſtriae mentionem facit Solinus, ut videre eſt apud Baccium (3).

47. Ad hoc artificium duo alia reducuntur, quorum primum eſt *Sublimatio, & Diſtillatio*, aut cum alembico, aut cum panno poſito ſuper orificium vaſis, in quo aquae bulliant, & poſtea exprimendo pannum illum, & aqua ſubtilis deſtillata ab eo exprimitur. Alterum eſt, cum aquae depurgandae *in vaſis fictilibus per aliquod tempus reponuntur, & quieſcunt* (4). Hac induſtria quae craſſae, aut alia ratione turbulentae, omnium facillime depurgantur; imo qui his ſtatim

rum Coenobiis, fere ſemper totius urbis, quam inhabitant, praeſtantiſſima reperitur aqua, ob id, quia facile communem (ut ſunt erga omnes plurimum officioſi) omnibus relinquunt. Decad. 1. Paradox. 5.

(1) Hinc nautae dulcis arenae dolia ſemiplena ſemper habent, ut cum ex alto mari petenda eſt aqua, hanc per dulce ſabulum, colatam potabilem reddant.

(2) De Milit. in caſtr. ſanitat. P.2, tuend. cap. VII.

(3) De Tyber. natur., & bonit. aquar.

(4) *Noſtro aevo Tyberina aqua magnis laudibus Romae extollitur, praeſertim ſi a limo bene fuerit depurgata: proceres enim ſolent in cellis urinariis grandia vaſa fictilia habere, quibus aquam Tyberinam reponunt, non in dies paucos, ſed in menſes, annoſque etiam ſine vitio ſervandam, quae doliis illis, cantharisque repoſita egregie defaecatur, potuique elegantior ſervatur; mirum tamen tantum bonum Antiquitatem ignoraſſe aut poſteris non tradidiſſe.* Nonnius lib. IV. cap. 3.

tim egent, panno denſiſſimo eas tranſcolare, ſat erit. Galenus (1) adnotat in Ægypto, ac praeſertim Alexandriae turbulentas aquas per quaedam teſtacea, & rara vaſa percolari, aut ſi ea deſint, per linteola.

48. III. Poſtremum inſtrumentum ad depurgandas aquas eſt *Mixtura*, *& Infuſio*; hoc eſt cum aquis impuris permiſcentur, vel infunduntur aliqua corpora, ex quibus fieri poſſit non levis extractio particularum, quae aquis permixtae ex impuris ſalutares conficiantur, veluti Panis, & Ferrum. Tenues igitur panis offae, ſatis, atque ſatis probe aſſentur, exinde aquis infundantur: ſufficit autem uncia una panis optime aſſi ad habendam menſuram unam aquae hujuſmodi. Vel infundantur quatuor, vel quinquae unciae limaturae ferri, ejuſdemve rubiginis in vaſe aliquo vitreo, vel ex terra vitreato. Alii alia miſcent, atque infundunt (2).

49. Sed quorſum haec aquas pravas depurgandi artificia commemoro? Qua de cauſa aquae pravae emendandae ſunt, cum ubique locorum adſint ſaluberrimae? Quis enim vetat, quin illi quibus aquae optimae deſiderantur, aqua pluvia, in optimis cyſternis excepta, & aſſervata, quae omnium antiquorum calculo, omnium optima ſemper fuit exiſtimata, vel ſani, vel morbo affecti minime utantur? Haec enim ubique terrarum colligi poteſt, ubique fere eadem (3) eſt.

(1) Lib. 6. Epid. comm. 10. ſect. 4.

(4) Qui plura de hac re deſiderat conſulat Avvicennae libellum de removendis nocumentis, & Portium in laudato tractatu.

(2) *Aquae pluviae parum inter ſe differre poſſunt; nam cum eodem ſublimioris regionis aere congeruntur: & quamvis aliquam mutationem, in tranſitu aeris peculiaris regionis, patiantur, tamen haec mutatio, prorsùs inſenſibilis erit, ſi comparemus cum ea, quam aquae ſubterraneae accipiunt.* Moſca laudat. tractat. P. 1. Diſſert. IV. num. 12.

eſt. Hac contenti eſſe poſſumus, atque debemus, quae Coeli communi quodam favore omnibus paſſim hominibus donari ſolet. Jacta igitur eſt alea. Aquarum indoles, quaecunque ſit, nullo pacto excludere valet noſtram methodum.

50. Tandem ſpernendae ſunt mulierum praeſertim calumniae, Inediae (1), vel aquae omnia prava ſymtomata, quae aliqua de cauſa (2), aegrotantibus, qui noſtra methodo tractantur forte ſuboriuntur, adſcribentium; quae potiſſimum in cauſa

(1) Mulieres enim totis viribus ſeſe Medicis opponunt; cum de ciborum ſubtractione in aegrotis agitur; unde doctiſſimus Sanctorius contra Patavinas mulieres haec ſcripta reliquit: *Inclinare ad victus plenitudinem eſt ſequi peſſimam mulierum opinionem, quae dicunt ſatius eſſe pugnare cum imbecillitate, quam cum ipſo morbo. Credunt enim multo cibo conſervare patientes in ſuis viribus, ne debilitentur, ob quam opinionem, pereunt innumeri. Mulieres enim hac diabolica opinione percitae interimunt ſuos parentes, ſuos viros, filios ſuos, & tandem paenam peccati luunt interimendo ſe ipſas, atque in hoc ſunt adeo pervicaces, & irrationabiles, ut a Medicis perſuaderi non poſſint*. Apud Valliſner. citato tractatu in adnotationibus ad doctiſſimi Roſeti epiſtolam.

(2) Ea porro quae curationes aliquando inanes reddunt, eluduntque ſpem Medicorum eventu improſpero expoſuit ſapientiſſimus Hippocrates primo ſuo aphoriſmo, dicens: *Vita brevis, Ars longa, occaſio praeceps, experientia periculoſa. Oportet autem non ſolum Medicum exhibere ſe ipſum facientem, quae decet; ſed & aegrum, & adſtantes, & externa*. Quaſi indicaret (ut Galenus in comment. hujus aphor. optime dixit) quod, ſi quis vellet judicium ferre de veritate illorum, quae ſequentibus omnibus Aphoriſmis continentur, deberet non tantum aegro praecipere quae conveniunt; ſed & requiri, ut aeger Medico obſequens ſit, adſtantes fideliter Medici mandata exſequantur, & externa, quae prope infinita, ſic ſint comparata, ut nec aegri ſomnum turbent, nec affectus movent &c.

ſa fuerunt, quare non infimi ſubſellii Medici (5); (quod non ſine magna animi mei triſtitia commemoro) ab hac methodo in morbis acutis curandis, uſque adhuc abſtinuerint. Spernendae, inquam, protinus ſunt; nam antiquiſſimae ſunt hominum querelae in Medicos, cum ipſe Hippocrates artis oraculum haec ſcripſerit ad ſuum Democritum. *Artis Medicae recta facta, o Democrite, plerique e vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſaepe attribuunt. Si vero natura reluctata, perdiderit eum, qui curatur medicos reprehendunt, numen*

(5) Audiamus ex antiquis Riverium. *At noſtris temporibus*, inquit, *in hac ſaltem regione mulierum contumacia, & Medicorum indulgentia factum eſt, ut in quibusvis febribus, quantumvis acutiſſimis juſcula ſemper concedantur ex decocto carnium gallinae, capi, vervecis, eaque ut plurimum tertia, aut ad ſummum quarta quaque hora exhibeantur. AEſtate vero pulli gallinacei, aut carnes haedinae praedictis addi ſolent*. Prax. Medicin. Lib. XVII. ſect. II. cap. I. Mutatis verbis ſic loquitur ex recentioribus Ingraſſias. *Uſque adeo vero hujuſmodi maledictus abuſus increvit, ut ſaepe me quoque ipſum, tametſi invitum ad, largius, quam velim, cibandum impellant, ſummopereque cogant in ipſo etiam morbi, ac ſymtomatum vigore.* Hinc ſubdit. *Niſi enim quadantenus vulgo, mulierculiſque crapuloſis aliquid condonemus, indulgeamus, vel alio quamprimum advocato Medico, nos tamquam crudeles tyrannos, ut qui fame aegrotantes cruciemus, enecemuſque a curatione noſtro cum dedecore ejicient, vel ipſae clanculum variis modis cibando illos ſtrangulant: laeſiones interea cunctas, vel ob cibi copiam advenientes noſtrae potius fami, quam ſuae importunae repletioni adſcribentes. Quod ſi ad ſalutem aegri perducantur, tunc ſuas clandeſtinas cibationes revelantes, inde incolumitatem nactos eſſe illos, gloriantur; adeout Medicorum honor ſemper in mari ſit. Aliquid inquam, mulieribus condonemus, in quibus omnino ſalutem ſperamus, vel eam ut dubiam habemus. Ubi enim omnino diſperatum aegrotantem novimus, eum illis veluti praedam, vel potius dixerim veluti peram, ſacculumve furibus continuo replentibus omittere conſuevimus*. Citat. quaeſt. cap. V. in fine.

men praetereuntes . *Ego ſane* (audiant quaeſo medici de fama ſolliciti) *mihi videor majorem reprehenſionem , quam honorem artis me aſſequutum eſſe* . Quapropter qui calumnias in noſtra arte evitare velit , artem ipſam derelinquat .

51. Haec itaque cum ita ſint omnia, quid quaeſo vetat , quin omnes medici , ubique terrarum hac noſtra methodo omnium ſaluberrima , in acutis morbis curandis , uti non poſſint , vel non debeant ? Nil obſtat temperamentorum conditio , non coeli diverſitas , nec tandem aquarum qualitas . Qua de cauſa a miſeris aegrotantibus ferenda eſt methodus minus cita , minus tuta , atque minus jucunda ? An ad hujus methodi uſum remedia a mare rubro expectanda ſunt ? Nonne ubique locorum eſt aqua ? Omnes igitur Medici poſthac, depoſitis praeconceptis opinionibus , ubique terrarum , in curandis morbis acutis hanc noſtram genuinam naturae methodum ſectabuntur ; exceptis tantum ex ſeniorum (1) familia non paucis

(1) Quantum valeant praeconceptae de aliqua re opiniones in animis quorundam , ac praeſertim ſenum, pauca exempla ſatis evincunt. Seculis elapſis Medici fere omnes in ea fuerunt opinione, chylum nempe per venas meſeraicas ad hepar deferri pro ſanguificationis munere . Inventis tandem anno 1622. , die 23. Julii in brutis venis lacteis a Caſpare Aſellio , & anno 1651. a Joh. Pecqueto , invento quodam receptaculo circa lumbares vertebras poſito ; ad quod ope multorum vaſorum lacteorum e pangreate Aſellii enatorum chylus patenter deferri, tandem Medicis innotuit ; quorum nonnulli praeconceptas opiniones haud inviti depoſuere , & maximas harum rerum inventoribus gratias egere ; pleroſque e contra annis graviores reſpondiſſe fertur se se perſpicillorum auxilio clariſſime & vaſa lactea , & Pecqueti cyſternam videre ; attamen (riſum teneatis amici) aſſenſum praebere , nullo pacto poſſe fatebantur .

paucis ; quibus pernicioſiſſimam vel pſeudogalenicorum, vel aquae frigidae methodum, quam per complura luſtra ſervarunt, relinquere magnopere diſplicebit,

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quae
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. (1)

52. Reliquum eſt, ut exteri ad rectum hujuſce methodi uſum praecipuos ejus canones diſcant, quos breviori ſtylo, & aphoriſtico, ut memoriae conſulerem, exponere curavi, juxta illud Horatii in Arte

Quicquid praecipies eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

V.

CANON I.

In omnibus morbis acutis, ſive in omnibus febribus,

tur, cum aliter ſenſiſſet Galenus, cujus veſtigia se se premere etiam in erroribus volebant. Non diſſimile reſponſum dabatur ab Ariſtotelicis ſeculo elapſo cum nervorum originem non a corde, ut eorum Dux gratis aſſeruit, ſed a cerebro, prout autopſia teſtabatur, quis ſuadere volebat. Quot difficultates immortali Harvejano inventui de circulatione ſanguinis factae fuerunt? Unde ergo tanta hominum pertinacia, niſi ab ignorantia? Audi de hac re Celſum de Hippocrate loquentem, quem proprios errores confiteri non puduit. *A futuris* inquit, *ſe deceptum eſſe, Hippocrates memoriae prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt, magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur, eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Lib. 8. cap. 4. (1) Horat. Epiſt. lib. II. Epiſt. I.

bus(1), ejuſque ſimtomatibus (2) noſtram methodum ſequuntor.

II.Mor-

(1) Quiſpiam fortaſſe admirabitur, quod nos in morborum acutorum cenſu febres omnes, continuas nempe, & intermittentes recenſuimus. Audiat hic Sydenhamium de febribus intermittentibus ſic loquentem: *Continuarum hujus tempeſtatis, atque intermittentium diſcrimen in eo maxime verſari, quod continuae conceptam ſemel efferveſcentiam συνεχος, unoque tenere perficiant; intermittentes autem partitis vicibus, ac diverſis temporibus eadem defungantur. Interim in utriſque fermentatio naturae ductu peragitur ſpatio horarum 336., aut circiter: neque enim citius, aut tardius maſſa ſanguinea in humano corpore ordinario repurgatur, ſi negotium naturae permiſeris; haud ſecus ac pomatium ſuam, vinum, atque cereviſia ſuam, ac peculiarem habet periodum qua depurentur. Quamvis autem in febribus intermittentibus ſanguis nonnunquam (ut in quartana contingit) ſex menſium ſpatio deſpumationem ſuam moliatur ac tandem perficiat; non tamen (ſi rite calculum ponas) plus temporis in eadem abſolvenda impenditur, quam quod continuis impendi naturaliter ſolet: 14. enim νυχθημερα, ſive dies naturales efficiunt horas 336., tribuendo nempe horas quinq; cum dimidia cuilibet paroxyſmo quartanarũ, habebis in quartana valorem 14. dierum, hoc eſt horas 336. Jam ſi quis dixerit quartanam verbi cauſa (eadem enim reliquarum intermittentium ratio ſubintelligenda eſt) ultra ſex menſium ſpatium aliquando excurrere, antequam periodum ſuam abſolvat; reſpondeo, idem etiam non raro in continuis febribus ſpectari; quae ſaepe ultra dies quatuordecim protrahuntur: in utroque nimirum caſu, ſi efferveſcentiam (praeſertim circa febrium finem) rite, atque ordine decurrere, ac ſuſtineri vegetam curaveris, deſpumatio intra praedicti temporis ſpatium, hoc eſt quatuordecim dierum, vel 336. horarum peragetur: quod ſi vero efferveſcentiam illam, ſeu fermentationem refrigerantium medicamentorum, aut clyſterum uſu tunc temporis (ſcilicet verſus febrium declinationem) importune inhibueris, & quaſi fraenum illi injeceris, mirum non eſt, ſi in longum evagentur, ordine quippe naturae perturbato. Namque hoc modo relaxatur quodammodo ſanguinis humani tonus, unde se ad deſpumationem accingere cum affectu nequit; immo vero in corporibus debilibus, & effoetis idem aliquando*

vel

II.

Morbi qui velociter, atque cum impetu, neque raro cum vitae diſcrimine ad ſtatum, finemque moventur, acuti appellantur.

SCHOLIUM.

Acuti igitur morbi ſunt ii, qui febre ſtipati ſunt continua, non raro ſingularem inflammationem inducunt huic, illive organo, unde ab ejus functione laeſa toti

mor-

ſponte accedit, niſi cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo ſanguini deſpumando par ſit. Haec Sydenhamius. Notandum autem hic eſt, quod in febribus intermittentibus utimur noſtra methodo tantùm in diebus febrilibus, in aliis vero ſufficit ſi aegrotantes victu tenui utantur.

(2) Antiquiſſima eſt inter Medicos controverſia, an nempe febres quae Anginae, Pleuritidi, Peripneumoniae, aliorumque viſcerem inflammationibus copulantur, eſſentiales ſint, vel ſymtomaticae. Antiquorum quamplurimi, Galeno referente, eas ſymtomaticas eſſe exiſtimarunt; *eos*, inquit (*comm. 73. ſect. 4.*) *qui propter lateris, aut pulmonis, aut alterius ejuſmodi partis inflammationem febricitarent, jam non febricitantes appellaverint, ſed pleuriticos, peripneumonicos, aut ſimilibus aliis nominibus nuncupaverint.* Nos vero cum Thoma Villiſio eſſentiales potius eſſe putamus. Et quidem cum morbi a principaliori ſymtomate notam deſumant, quodnam in Angina, & Pleuritide &c. ſymtoma principalius, ac gravius, quam febris? Imo ſi animadverterimus febres, quae inflammatoriae dicuntur, nunquam organi laeſionem ſequi, ſed ſemper praecedere, vel ſaltem una ſimul naſci; credendum eſt, eas non eſſe ſymtomaticas. Ratio autem in promtu eſt. Inflammationis materia haud in pleura, exempli ergo, fixa eſt, ita ſcilicet ut febrem producere potis eſſet, ſed in ſanguine vagans, & ut ita dicam, innatans, quod ex morborum commutationibus deduci poteſt. Paſſim enim obſerva-

mus

morbo imponitur nomen. Tales ſunt Phrenitis, Coma, Carus, Angina, Peripneumonia, Pleuritis, Inflammatio mammarum, diaphragmatis, ventriculi &c. Quapropter omnes morbi, qui breviore tempore ſtadium ſuum decurrunt, vehementioribus ſymtomatibus naturam acrius, impugnant, citoque finiuntur, (qui ſi quadraginta dierum terminum excedunt chronici longi, & tardi dicuntur), aut ſalutari criſi, aut morte, acuti a nobis appellantur. Omnes hi morbi, ſive acuti incipiant, ſive ex chronicis acuti evaſerint, noſtra methodo curari poſſunt.

III.

Quibus morbi materia concocta non eſt, vel quaepiam interna inflammatio, vel thoracis praecipua affectio adeſt, aquam calidam (1) dato.

IV.

Quibus eſt fibrarum naturalis flacciditas, vel

 nau-

mus ex angina pleuritidem, & ex hac peripneumoniam naſci, (quod ex partium conſenſu repetere quoque poſſumus), ut Hippocrates in aphoriſmis animadvertit. Ex dictis itaque patet ratio, quare noſtram methodum in omnibus febribus ejuſque ſymtomatibus curandis ſervandam eſſe decrevimus.

(1) Sed lubet Aetium audire qui admirabiles aquae calidae dotes brevibus percurrit Tetrabil. 1. Sermon. III. cap. clxv. *Aqua calida convenit, ubi oportet excretionem praeparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, aut liquefacere, aut mollire, aut eluere, concoquere, aut diſcutere volumus: particulatim vero mucum ducit, & ſcreatum adjuvat, & dolorem omnem mitigat & præſertim in præcordiis, ac inteſtinis: ructum movet, & flatum provocat, urinam, ac ſeceſſum ducit. Bona eſt etiam ad concoctionem ac digeſtionem, & nutritionem, & augmentum, menſes ducit, nervis, & convulſionibus idonea eſt, ut etiam Pleuritidi, & Peripneumoniae. Hippocrates etiam febricitantibus illam largitur lib. de loc. in homin.* Febricitantibus cibum ne offeras, neque ſorbitionibus ſubtus alvum ducas, in potu dabis aquam calidam.

nauſea ; non calida , ſed naturalis miniſtrator .

V.

Quibus pulſus debilis , materiae morbificae coctio, aquae naturalis difficilis tranſitus , coma , delirium , extremorum frigus , & hujuſmodi alia ſymtomata , apparent , aliquo non repugnante (2) , aquam frigidam praebeto .

V I.

Aquam calidam in morbis pectoris parum , & ſaepe , nempe ab unciis tribus , quatuorve ad ſemilibram , vel ſingulis horae quadrantibus , vel ſingulis ſemihoris ; in ceteris vero , eodem temporis intervallo , ad libram , vel ad unam cum dimidia , exhibeto .

V I I.

Aquam naturalem , & frigidam univerſe ad phialam unam ſingulis horis donato ; verum pro morbi ſtatu , & ſymtomatum natura , eam augeto, vel minuito .

V I I I.

In morborum principio, declinationeque, ſingulis horis,vel duabus ; in ſtatu vero , vel ſingulis horis, vel ſingulis ſemihoris , vel ſingulis quadrantibus , maxime ſi lin-

(2) *Frigida qualis nix & glacies pectori inimica , tuſſes movent , & ſanguinem , & diſtillationes , quas & longe deteriores effectus conſueverunt* . Hipp. Sect. v. Aphor. 24. Et Aph. 17. ejuſdem Sectionis. *Sedi, pudendis, utero , veſicae, his calidum amicum , & indicans , frigidum inimicum , & perimens* .

ſi lingua exaruerit , aquam , vel naturalem ; vel calidam , vel frigidam , univerſe praeſcribito .

IX.

Quamvis , morbi progreſſu , aquam aegroti faſtidiant , eam perſeverato .

SCHOLIUM.

Poſt quintam , vel ſextam diem , etiam in febribus ſiticuloſis , aegrotantes aquam nauſeant ; omni tamen induſtria excitanda eſt ſitis .

X.

Ingruente paroxyſmo , donec febris ingreſſa fuerit , quod a calore ceteriſque ſymtomatibus adauctis dignoſcitur , aqua abſtineto .

XI.

Ut aquae tranſitus facilis reddatur , vel nonnulla ei admiſceto , vel commutato , vel diminuito , vel augeto .

SCHOLIUM.

Huic indicationi ſatisfacere poſſumus , floribus ſalis armoniaci a granis VII. *ad* XII., *vel nitrum a granis* X. *ad* XV. *in omni bihorio , vel trihorio , vel quantitas , aut qualitas mutari poteſt .*

XII.

Quibus aqua ingeſta , quacunque de cauſa , adhi-

bitis omnibus cautionibus , non tranſeat , vel propter inediam deficit animus , his cibum tenuiſſimum praebeto.

S C H O L I U M.

Hinc illa corpora , quibus in imo ventre ſunt obſtructiones , & cachexia laborant , nec non hypochondriacorum plerique , & quibus os ventriculi a bile mordetur , quos picrocholos *Valleſius* (1), *aliique appellant, noſtrae methodo haud ſubjici debent, nec poſſunt ; his ergo,horis a febre remotioribus,juſcula exhibeantur, & pro eorum optione , & appetitu , excepto febris paroxyſmo , aqua propinetur .*

X I I I.

Quibus aqua ingeſta , vel per immanes ſudores , vel per urinam immutata illico egrediatur, ptiſanam pro ſimplici aqua adminiſtrato .

S C H O L I U M.

Aquae frigidae ſcriptores , ut legere eſt apud Cyrillum in ſua diſſertatione, hos , remotis ſtragulis nudos aeri exponebant , vel aqua gelida madefaciebant, imo & ipſa contrita nive (rigeſcit cutis) cooperiebant , vel ventilabris perflare cutim curabant, ut deviato e cuti curſu ad urinarum vias aqua deflecteret , per quas majori cum aegrotantis emolumento , eam educi credebant .

X I V.

Toto morbi decurſu , ab omni cibo aegrotantes ut abſtineant , curato .

(1) Method. medend. lib. 12

SCHOLIUM.

Quanti momenti ſit hoc praeceptum in praxi triſtia exempla quotidie evincunt. Quicunque error contingit aegrotantibus, *ſcripſit Galenus* (1), qui tenui victu reguntur, hic profecto majus affert periculum. *Quid accideret iis, qui nil praeter aquam capiunt?*

X V.

Poſt perfectam morbi judicationem, maxime ſi pulſus, lingua, & urina omni vitio erint exuta, & fames premat, aqua ſuperſedeto, & cibum praebeto.

X V I.

Quo plus jejunaverint aegri, eo tenuiori, & parciori cibo prima vice aluntor, & in dies poſtmodum gradatim pro eorum conferentia, & tolerantia cibum augeto.

SCHOLIUM.

Hunc canonem prae ceteris obſervatum velim. Bis enim ego cum Joſepho Meſca praeceptore meo ſemper colendo, in illa hujus urbis regione, quam vulgo Molum parvum *appellant, bis inquam, obſervavimus duos miſeros aegrotos, qui poſt decimam quartam diem, debellato morbo, maxima parentum laetitia, ab arcta inedia illico ſeſe cibis impleverunt, ſtatim apoplexia correptos tanti peccati mortis poenam luiſſe. Dixerat jam Hippocrates.* Quae longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet, quae vero brevi, celeriter.

(1) Comment. 2. de R. V. in acut.

ter. *Non convenit itaque poſt inediam protinus ad ſatietatem devenire. Plurimum enim, & repente repleri ex ſententia ejuſdem Hippocratis periculoſum eſt. Prudenter monet Celſus:* Si ſanis corporibus ipſa (*ſatietas*) eſt inutilis, ubi aliqua neceſſitas famem fecit, quanto inutilior eſt infirmo, nedum aegro? *Cauſa in promtu eſt.* Nam ſicut parva ſcintilla, *verba ſunt Coelii Aureliani* (1), plurima coacervatione lignorum opprimitur, vel lucerna flammam accerſens, olei multa infuſione fruſtratur, parva autem adjectione, atque ſumtione recreſcit, & rurſum ardeſcit, non aliter corporis virtus inſumta immodicis nutrimentis oppreſſa mortis dabit effectum. *Hinc uſus obtinuit felici cum ſucceſſu, apud noſtrates, Juſculum pulli, vel vitellum ſorbile ovi* (2), *vel drachmas duas, aut tres panis in aqua decocti aegrotis prima die offerre, & pedetentim augere, prout vires ſtomachi ferre poſſunt, omnis generis carnibus per aliquot dies denegatis.*

X V I I.

Praeter Inediam, & Aquam, Vino (3), Phlebotomia

(1) De acut. morb. cap. XXXVII.

(2) *Albumen ovi hinc praecipue commendatur ad nutriendoos debiles homines, ſed dilutum aqua ut tenacitatem amittat, & levi aromate conditum, ne nimis fatuo ſapore diſpliceat; tepida autem aqua dilui debet, fervidae enim aquae calore coagulatur in ſciſſilem maſſam difficillimae digeſtionis.* Van-Svvieten. ad §. 28.

(3) *Inanis metus multorum animos obſedit, quo peſſima quaevis a vino in febribus metuunt, quia calorem ſemper inde augeri creditur. Vina meraca, imprimis largiori copia aſſumta excalefacere certum eſt; verum eadem larga copia aquae diluta vires languentes reficiunt; neque tamen nimio ſtimulo nocent. Imo longe gratius refrigerium percipitur a vino magna copia aquae diluto, quam a pura aqua potata. In febribus ardentibus Hippocrates* (de morbis) *vinum Thaſium vetus,*

tomia , Vomitorio , Catharticis , Diſſolventibus , Diureticis , Diaphoreticis , Alexipharmacis , Clyſteribus , Unctionibus , Anthelminticis , Fomentis , Animalibus exenteratis , & parti applicitis , Errhinis, Expectorantibus , Bechicis , Sinapiſmis , Veſicantibus , & ſexcentis hujuſmodi, iiſdem legibus , quibus a ſummis in Medicina viris praeſcribi ſolent , pro ſymptomatum exigentia , utitor .

SCHOLIUM.

Primi aquae frigidae praecones , antiquis exceptis, ſola aqua nive refrigerata contenti erant , atque huic remedio haec omnia impedimento eſſe credebant : at poſtmodum experientia rerum magiſtra docuit,praedicta praeſidia pro ſymptomatum natura utilia evadere , imo fere ſemper neceſſaria eſſe .

Hactenus dictis unum addam , me in hac de noviſſima , ſive genuina methodo curandi morbos acutos

tus , viginti quinque partibus aquae dilutum exhiberi juſſit. Acidula autem vina imprimis hic laudantur , quia omni putredini reſiſtunt : ſic enim aprinas carnes vino Rhenano immerſas ſervari incorruptas novimus . Accidit , quod a nimio aeris calore langueant homines; unde vini modica quantitas, aquae mixta, huic languori optime ſuccurrit, ſimulque aquam per omnia mobilem reddit.Contra Galenicos ſui temporis Medicos , qui omnem vini uſum in febribus damnabant inſurgens Helmontius, hinc non ſine ratione dixit : Vinum autem peculiarem habet indicationem non ſolum quia vires addit , quibus natura exoſam materiam domat ; verum inſuper , quod ſit plauſtrum medicaminum conveniens . Eſt nimirum nuntius qui vias novit , itineri accinctus , charus intimis , & admiſſus in penetralia (de febribus cap.12.) . *Pro majori jam, aut minori vini meracitate pluri, vel pauciori aqua diluitur ;ſicque gratiſſimi potus parari poſſunt , dum v. g. de-*

cocti

ſos diſſertatiuncula, generales tantum morborum ſpecies, & tempora in quibus hoc vel illo modo aqua ſit praeſcribenda, recenſuiſſe, & adnotaſſe. Etenim ſi omnes, vel ſingulas affectiones, in quibus haec diverſimode exhiberi ſolet, & debet pertractare voluiſſem in longum certe prolata fuiſſet oratio, & in alienam meſſem forſan falcem immiſiſſem, vel crambem iterum recoxiſſem. Interim quae neque dici neque ſcribi poſſunt, ut ſubtiliora, & quae in occaſione praecipiti ſunt poſita, medici clinici (1) diligentiae relinquuntur.

F I N I S.

cocti hordei quinque, vel ſex partibus una pars vini aciduli miſcetur parca copia nitri additur, & ſuccus citri, ribeſiorum, ſambuli, vel eorum ſaepe cum ſaccharo coctae in his diluuntur. Van-svvieten ad §. 605. Conſule hac de re, in vini potatorum gratiam, opus Mauritii Tirelli, inſcriptum: *De Hiſtoria vini, & febrium*. In quo quibus febribus, & quo tempore vinum propinatum ſalutare ſit, perbelle demonſtrat.

(1) *Major pars hominum medicos tantum cum decumbunt accerſit, unde Medici vocati ſunt* Clinici *a veteribus, quaſi ſolos decumbentes in lecto adeant, quod nomen narrat Cyprianus a Gentilibus quaſi per ignominiam Chriſtianis fuiſſe tributum, quod charitatis ergo infirmos decumbentes viſitabant, & iis ſerviebant*. Mercurial. hiſtor. 1. Epid. Hipp.

EMINENTISSIMO SIGNORE

A Leſſio Pellecchia pubblico Stampatore ſupplicando eſpone a V. E. come deſidera dare alla ſtampa una Diſſertazione intitolata: *Philippi Colanerii Noviſſima Methodus curandi morbos acutos Inedia, & Aqua*. Per tanto la ſupplica a concedergli la ſolita licenza, e l' avrà a grazia, ut Deus.

Dominus D. Jacobus Martorellus in Regio Lyceo Graecae Hiſtoriae Profeſſor revideat, & referat. Datum Neapoli hac die XVIII. Julii 1747.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcadiop. Can. Dep.

PRINCEPS EMINENTISSIME

VEteres Jatroſophiſtæ laudibus Medentes eos honeſtabant, qui ἐσπούδασαν εὑρεῖν τι χρήσιμον ἐν τῷ βίῳ, quamquam τελείαν τὴν διδασκαλίαν οὐκ ἐποιήσαντο: methodum curandi morbos acutos inedia atque aqua parum onſehac invectam ſive reſtitutam longe perfeciſſe viſus eſt elegantis ingenii juvenis Philippus Colanerius; quare hæc ejus Diſſertatio omnium manibus verſabitur, & ab exteris ſuſpicietur, qui aquæ uſum τολμῆσθαι auſus eſt. Ceterum nihil cavendum eſt ut typis committatur. Ante diem III. Idus Julias an. 1747.

Humillimus, & obſequentiſſimus Cultor
Jacobus Martorellus.

Attenta relatione Domini Reviſoris Imprimatur. Datum Neapoli XVI. Calendas Julii 1747.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcadiop. Can. Dep.

S. R. M.

S. R. M.

SIGNORE

A Leſſio Pellechia pubblico Stampatore di queſta Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone V. M. come deſidera ſtampare una Diſſertazione inticolata *Noviſſima Methodus curandi morbos acutos inedia, & Aqua. Philippi Colanerii Diſſertatio*. Per tanto il Supplicante ricorre a piedi di V. M. affinche ſi degni commettere la reviſione a chi meglio gli parerà per ottenerne la ſolita licenza, e ſpera ottenerlo a grazia, ut Deus.

Doctor Phyſicus Joachimus Poeta in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor in Cathedra Primaria Medicinæ Practicæ revideat, & in ſcriptis referat. Neap. die 13. menſis Julij 1744.
C. Galianus Archiep. Thaſſal. Cap. Major.

ILLUSTRIS. AC REVENDIS. ANTISTES.

PErlegi eruditam, & perutilem Philippi Colanerii Diſſertationem de acutis morbis ſola inedia, & aqua curandis, in qua nihil Regiæ Juriſdictioni importunum offendi, in cujus lectione virilem adoleſcentis auctoris ſolertiam, & rite ſcribendi artem perſpexi. Quocirca ad Republicæ Literariæ adjumentum typis tradi poſſe exiſtimo, ſi ita vobis videbitur Neap. D. XVI. Kal. Aug. Aerae Criſtianae MDCCXLVII.

Joachimus Poeta primarius Medicinæ Profeſſor in Regia Studiorum Univerſitate, & Comes Palatinus.

Die 27. menſis Julii 1742. Neap. &c.

Viſo reſcripto ſuæ Regiæ Majeſtatis ſub die vigeſima ſexta currentis menſis & anni ac relatione facta per magnificum Doctorem Phyſicum Joachimum Poeta de commiſſione Reverendi Regii Capellani Majoris prævio ordine præfatæ Regiæ Majeſtatis,

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit atque mandat quod imprimatur cum inſerta forma preſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris; Verùm in publicatione ſervetur Regia pragmatica hoc ſuum &c.

DANZA. FRAGGIANNI. ANDREASSI.

Ill. Marchio de Ipolito Præſes S. R. C. & Ill. Marchio Caſtagnola temporis ſubſcriptionis impeditus.

Citus.

Reg. in Regiſtro Regalis Juriſdictionis, fol. 18. a ter.